



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1706

Titulus II. De erectione, unione, collatione, & resignatione Beneficiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62406)

ADNOTATIONES.

1. **PROVIDERE.** Curia Episcopalis quando non habet proprium Cursores, sive Bajulum, uti poterit Cursoribus Curiae Laicae absque alia licentia Judicis Laici, sive Gubernatoris, aut Civitatis; & si renunt citationes, & mandata exequi, eos etiam censuris compellere, ut respondit *Sacr. Congreg. Immunit. in Narnien. 23. Junii 1648. l.4. Decr. fol. 53. à tergo.*
2. **ELIGIMUS, ET DEPUTAMUS.** Cursores, & publici Nuncii regulariter eliguntur, & deputantur à Judice; Si verò electio vigore statuti fieri contingat à Prioribus, & Magistratu loci, debet constare de deputatione, ut illis credatur, ad differentiam Nuncii, sive Bajuli à Judice electi, qui praesumitur talis quoties constat de commissione citationis, vel quod sit in possessione officium exercendi, quamvis de deputatione non doceatur, ut per doctrinam Bart. in *Extravag. ad reprimendam n. 5.* tenet Tusch. *litt. N. conclus. 154. n. 1. & 2. & conclus. seq.* ubi enumerat casus, in quibus Nuncio credendum sit.
3. **CUM ONERIBUS.** Aliqui tenent, quod Nuncius, sive Bajulus antequam incipiat officium exercere, debeat juramentum praestare de fideliter exercendo, & stare Syndicativi: Alii verò

putant, quod possit validè officium exercere etiam juramento non praestito, quos refert Tusch. *dicta litt. N. conclus. 154. n. 4. Nic. in fosc. verb. Barisellus n. 2. Ubert. de cit. tom. 3. c. 12. n. 361. in fin.* & hoc ultimum frequentius in praxi servatur.

4. **PRIVILEGIIS.** Nemo quod viderim negat, quod Nuncius, sive Cursor Curiae Episcopalis non gaudeat privilegio Fori, cum sit officium necessarium pro regimine Tribunalis, Nicol. *lucubr. Can. lib. 5. tit. 39. n. 109. ampliat. 5. Sacr. Congr. Immunit. in Cathacen. 27. Januarii 1643. lib. 3. Decr. fol. 194. à tergo.*

5. **OFFICIUM CURSORIS.** Satellites non possunt, neque debent exercere officium Cursoris, sed citationes, & intimationes per fidele, & publicum Bajulum ab Ordinario electum exequi, & intimari debent, sic respondit *Sacr. Congr. Episc. in Civitatis Castellii 14. Aprilis 1615. ad quintum dubium.*

6. Officium Cursoris non inducere infamiae maculam, neque irregularitatem, quae indigeat dispensatione, si loquamur de eo, qui satellites in capturis non adjuvat, ut late probat Sperell. *dec. 77. per tot.*

7. Nomina Cursorum varia sunt secundum locorum denominationem, ut observat Zacc. *de salar. quæst. 79. n. 1.* In Regno enim Neapolis non Cursores non Nuncii, non Bajuli, sed servientes nuncupantur.

TITULUS II.

De erectione, unione, collatione, & resignatione Beneficiorum.

Erectionis Beneficii cum reservatione juris patronatus.

FORMULA I.

SUMMARIUM.

1 Beneficium debet erigi decreto, & auctoritate Episcopi.

2 Prælati inferiori Episcopo, qui jura Episcopalia non habet, Beneficia non erigit.

3 Beneficium Ecclesiasticum erigi non potest, nisi ad Altare, dote constituta. Beneficium indotatum dicitur Beneficium de pratica, ibid.

4 Beneficii dos debet constitui nominatim hoc nomine.

5 Be-

- 5 Beneficii Fundator debet dotem constituere de propriis bonis, alias non posset illi reservari Jurispatronatus.
- 6 Cappellania manualis non potest erigi in Beneficium cum reservatione Jurispatronatus, neque de consensu hæredis.
- 7 Beneficii Fundator potest in limine fundationis condiciones sibi benè visas apponere, etiam juri communi contrarias, de licentia Episcopi.
- 8 Episcopus si nollet condiciones Fundatoris admittere, datur recursus ad Superiorem, qui supplet illius consensum.
- 9 Condiciones, & leges fundationis Beneficii, non possunt alterari, quamvis consensus Patroni interveniat.
- 10 Fallit regula, quando conditio de novo apponenda non est contra juris dispositionem; Nam Fundatore meistente, si Episcopus consentiat poterit superaddi.
- 11 Institutio differ à collatione, & provisione.
- 12 Ereccionis Beneficii substantia est, quod fiat in Ecclesia ad certum Altare sub invocatione alicujus Sancti, & assignentur bona nomine dotis.

N. Episcopus N.

Atenta comparitione, & instantia coram Nobis facta per N. qui ob magnam devotionem, quam erga S. N. gessit, & gerit, dotare statuit illius Altare, & Cappellam ab eodem erectam in Ecclesia N. loci N. annuo redditu, sine censu scutorum... super bonis stabilibus videlicet, prout latius ex instrumento dotationis confecto manu Notarii publici N. sub die..... in nostra Cancellaria in forma authentica exhibito apparet cum reservatione Jurispatronatus præsentandi Rectorem, & Rectores, seu Cappellanos dictæ Cappellæ quoties vacare contigerit per ipsum comparentem, suosque hæredes. Nos propterea considerantes, quod in iis, quæ ad Divini Cultus augmentum tendunt, favorabiles esse debemus, dictam Cappellam, seu Altare sub invocatione S.N. in Ecclesia N. ordinaria auctoritate, & omni alio meliori modo, causa, & forma, nobis de jure permissis, in perpetuum Beneficium Ecclesiasticum erigimus, & erectum esse volumus, & declaramus, & bona prædicta propria dicti Oratoris pro dote, & loco dotis illi sic erecto assignamus, appropriamus, & applicamus. Nec non præfato N. ejusque hæredibus Juspatronatus, & præsentandi Rectorem, & Cappellanum, Rectores, & Cappellanos toties quoties casus vocationis occurrat, concedimus, & reservamus, instituendum tamen, & confirmandum, instituendos, & confirmandos per Nos, & Episcopos Successores, cum obligatione Rectoris intra legitima tempora præsentandi, celebrandi, seu celebrare faciendi..... Missas in qualibet hebdomada pro salute Animæ..... & ita salvis juribus Episcopalibus erigimus, & reservamus omni, &c. In quorum fidem has præsentis litteras, & ereccionis Decretum à nobis subscriptum expediri, & in Cancellaria nostra una cum dicto instrumento dotationis registrari, & servari mandamus. Datum &c.

N. Episcopus N.

ADNOTATIONES.

I. **A**TTE^NT^A COMPARI^TIONE. Ad hoc, ut Beneficium Ecclesiasticum dicatur erectum

inter alia requisita illud est præcipuum, ut prævia instantia sit fundatum auctoritate, & Decreto Episcopi, Clem. 2. de Decim. ubi Glor. in verb. si Beneficium in fin. Felin. in cap. ex parte il 2. num. 2. de rescript.

C 4

rescript. Scipio de Rub. Aphorism. Episcop. verb. Beneficium num. 17. Rot. decis. 1. n. 24. coram Buratt. ubi Add. Si enim Episcopi assensus in erectione deficiat, non dicitur Beneficium, sed Cappellania manualis, & amovibilis, Barbol. de jur. Eccl. lib. 3. cap. 5. num. 5. Lotter. de re Benef. lib. 1. quæst. 31. num. 6. Rot. coram Manzan. decis. 283. num. 8. & coram Rembold. decis. 180. num. 5.

2. Neque à Prælato inferiori, qui jura Episcopi non habet, erigi potest quantum vis exempto, & nullius, *Glof. in Clem. 2. in fin. de Decim. Abb. conf. 59. num. 3. p. 2. Lotter. de re Benef. lib. 1. q. 5. n. 40. & 56. Vivian. de Jurepatr. lib. 1. c. 2. n. 38.*

3. **DOTARE STATUIT ILLIUS ALTARE**. Hoc exprimitur in formula, quia nullum Beneficium Ecclesiasticum erigi potest, nisi ad Altare, & cum dote congrua, *cap. Nemo de consecr. dist. 1. Lotter. de re Benef. lib. 1. quæst. 4. nu. 55. Aliàs si erigeretur, vel jam erectum remaneret sine doto, diceretur Beneficium de pertica, Rot. coram Durand. dec. 285. n. 25. & 57.*

4. **PRO DOTE, ET LOCO DOTIS**. Debet Episcopus in erectione Beneficii advertere, quod constitutio dotis nuncupatim fiat hoc nomine, non autem nomine stipendii, vel salarii pro Rectore, seu Cappellano, quia ex perceptione annui redditus non infertur ad statuum Beneficii Ecclesiastici, ut advertit *Lotter. de re Benef. lib. 1. quæst. 31. num. 60. Rot. coram Cerr. decis. 526. n. 5.*

5. **PROPRIA DICTIORATORIS**. Hæc clausula, sive expressione datur intelligi, quod Episcopus nemini potest Juspatronatus reservare, nisi fundans conferat Beneficia erigendo dotem de propriis bonis liberis, juxta Rotæ sententiam coram *Celf. decis. 239. num. 6. & cor. Cerr. decis. 526. num. 5. Si quis enim tamquam Administrator, Executor, vel Protector loci pii vellet ex illius redditibus, aut ex aliis piorum fidelium contributionibus, largitionibus, & eleemosynis annuis, Beneficium erigere, non posset Episcopus illi juspatronatus reservare, ex plenè firmatis in decis. 383. & dec. 413. coram Peutingen.*

6. Ex quo infertur, quod, si hæres, vel

Successor in Capellania manuali non collativa ab aliquo Testatore relicta cum onere celebrationis Missarum vellet illam in Beneficium perpetuum collativum erigere cum reservatione Juspatronatus, non posset Episcopus, neque cum consensu talis hæredis hoc facere, quia nihil hæres confert de suo, nec valet mutare legem à Testatore præscriptam, *Pac. Jord. lucubr. tom. 1. lib. 3. tit. 6. post n. 91.*

7. **JUS PRÆSENTANDI RECTOREM**. Non solum Fundator Beneficii potest sibi, & suis jus præsentandi Rectorem reservare in erectione, sed etiam alias condiciones sibi bene visas dummodò non sint turpes, impossibiles, & contra naturam Juspatronatus, etiam juri communi contrarias apponere, juxta communem *DD. sententiam, Ricc. decis. cur. Archiep. Neapol. 29. per tot. par. 1. Ciardin. contr. 53. num. 48. dummodò tamen in limine foundationis ab Episcopo fuerint concordatæ, & admisæ, Lotter. de re Benef. lib. 1. quæst. 32. num. 3. Tondut. q. Benefic. tom. 1. par. 1. cap. 5. num. 5. Add. ad Pamphil. decis. 54. n. 8. & seqq.*

8. Quatenus verò Episcopus nollet conditionibus hujusmodi per Testatorem, vel Fundatorem appositis in erectione consentire, neque illas Decreto admittere poterit tunc recurri ad Superiorem, ut eum cogat ad consentiendum, & si contumax sit, ipse Superior suppleat, & consentiat, ut docet *Lotter. d. quæst. 32. num. 17. Ricc. dicta decis. 29. num. 7. & 13. & decis. 240. n. 5. & 6. p. 3. ubi enumerat condiciones, quæ debent recipi, & quæ reiici.*

9. Verum tamen est, quod conditiones, & leges foundationis postquam in limine erectionis Beneficii fuerint appositæ, & ab Episcopo approbatæ, non possunt amplius mutari, neque alterari, etiamsi consensus Patroni interveniat, *Garz. de Benefic. par. 11. cap. 5. num. 222. & 224. Fagnan. in cap. Conquerente num. 24. de Cler. non resid. Caren. resol. 142. num. 2. Vivian. de jurepatr. lib. 2. cap. 8. n. 10. in fin.*

10. Quod tamen distinctione modificata, videlicet; Si conditio, quæ de novo vult apponi post erectionem est contra jus, & tunc superaddi non potest, etiamsi Epi-

Episcopus consentiat; Aut conditio non est contra juris dispositionem, & tunc ipsomet Fundatore instante, poterit nova conditio superaddi etiam ex post, si Episcopus consentiat, ut notabiliter limitando regulam firmavit Rot. coram Seraph. decis. 1414. Vivian. de Jurepat. lib. 2. dist. cap. 8. d. num. 10.

11. **INSTITUENDUM.** Ad differentiam collationis, & provisionis. Nam collatio proprie dicitur quando Beneficium est liberum, & in mera Episcopi dispositione jure ordinario. Provisio autem quando Beneficium confertur de jure devoluto propter negligentiam inferioris, vel Patroni. Institutio verò tunc dicitur quando Beneficium confertur ad præsentationem alterius, ex notatis in Rubrica de instit. in sexto.

12. Hæc formula poterit deservire in erectione aliorum simplicium Beneficiorum, in quibus Juspatronatus non reservatur, mutatis mutandis juxta facti, & rei gestæ expositionem, retenta substantia Decreti erectionis, quæ ad hoc reducitur nempe, Quod erectio fiat in Ecclesia ad certum Altare sub invocatione alicujus Sancti, & assignentur bona libera stabilia fructifera nomine dotis, Lotter. de re Benefic. lib. 1. qu. 4. num. 55.

Erectionis Ecclesiæ Parochialis.

FORMULA II.

SUMMARIUM.

- 1 Parocho est providendum de congrua etiam per collectam Parochianorum.
- 2 Parochiani cogendi sunt ad contribuendum pro congrua Parochi in subsidium.
- 3 In Parochiali Ecclesia Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti debet retineri in Altari Majori.
- 4 Parochi tenentur Dominicis, & Festivis diebus Sacrificium Missæ pro populo applicare, etiamsi congruam habeant tenuem, & n. 5. & 6.
- 7 Parochus Parochianos conjungere debet in Matrimonio in Ecclesia.
- 8 Parochus, qui contra prohibitionem Episcopi Matrimonia celebrat extra Ecclesiam, peccat mortaliter.
Episcopus non potest cogere subditum ad observantiam præcepti injusti, ib.
- 9 Concursum non est adhibendus in provisione Parochiæ de novo erectæ, sed pro prima vice liberè confert Episcopus, approbatione facta Provisi coram Examinatorib. Synodalibus.

N. Episcopus N.

CUM in visitatione nuper per nos facta invenerimus in loco N. non adesse Ecclesiam Parochialem, in qua Christi fideles ibidem commorantes Sacramenta recipere, & monita salutis audire possint, sed promiscuè per simplices Presbyteros non certos, nec per proprium Parochum cum Animarum discrimine, & periculo audiverimus. Propterea Gregis Nobis commissi soluti consulere, & malis, quæ ex Pastoris deficientia occurrere in dies solent, providere volentes, attenta præsertim hominum dicti loci humili instantia, & supplicatione pro erectione Parochialis, ac obligatione per eosdem in Actis nostræ Curiaë solemniter facta (cum nec per subtractionem reddituum Matricis, nec per unionem Beneficiorum de toto providere non valuerimus) solvendi certam pecuniarum summam, & tradendi certam frumenti, & vini quantitatem pro unaquaque familia Parocho pro tempore eligendo, ut commodè sustentari possit, donec de congrua aliunde provideatur; Invocato D. N. Jesu Christi nomine, ejusque Matris sæper Virginis Mariæ, Ecclesiam loci N. sub invocatione Sancti N. hujus nostræ Diocesis, nostra auctoritate ordinaria, & omni &c. tenore presentium in Parochialem erigimus, & erectam volumus, & declaramus, in eaq; postquam de decenti Tabernaculo, & aliis necessariis ad custodienda Sacramenta provisum fue-

fuerit, prout in visitatione provideri mandavimus: Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ad Altare Majus, Fontem Baptismalem, Olea Sacra, & alia, quæ ad Ecclesiam Parochialem pertinent, retineri, & custodiri mandamus. Ecclesiæque prædictæ sic in Parochialem erectæ jura omnia, & privilegia, quæ Parochialibus de jure competunt, concedimus, & illis gaudere debere decernimus, cum assignationibus, & proventibus à præfatis Parochianis promissis, ac aliis obventionibus, elemosynis, & oblationibus universis certis, & incertis Curæ à Sacris Canonibus concessis, & permissis. Ipsamque Ecclesiam Parochialem nulli Jurispatronatus servituti subjectam esse, sed ad liberam nostram, & successorum nostrorum collationem, & provisionem servata forma Sac. Concil. Trid. spectare, & pertinere decernimus.

Ut autem præfata Ecclesia Parochialis de novo erecta de idoneo Rectore provideatur, qui populo in Divinis, & Animarum Cura regenda præsit, & Missis diebus festivis pro Ovis suis celebrare, Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ ministrare, necnon in eadem Ecclesia Matrimonio Parochianos conjugere, ac rudimenta fidei edocere debeat, & teneatur, dilectum Nobis in Christo N. Presbyterum per Nos, & Examinatores nostros Synodales tamquam habilem, & idoneum repertum præficimus, illique curam, regimen, & administrationem Sacramentorum committimus, ac eidem de præfata Ecclesia Parochiali noviter erecta collationem facimus, & providemus. Mandantes &c. In quorum, &c. Datum, &c.

N. Episcopus N.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

1. **O**BLIGATIONE. Quando nova Parochia de congrua provisione Parochi aliunde provideri non potest, puta, per unionem Beneficii simplicis, Parochiani tenentur, & cogi possunt ad contribuendum, ut notant communiter Canonistæ in c. Ad audientiam de Eccles. edific. quam juris dispositionem innovavit Concil. Trid. in cap. 13. sess. 24. de Reform. his verbis -- Per Parochianorum Symbola, aut Collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro Rectoris, aut Parochi necessitate decenter sufficiat.

2. **DONEC DE CONGRUA ALIUNDE PROVIDEATUR.** Parochiani cogendi sunt, ad contributionem congruam in subsidium, & eo tantum casu, in quo Parocho aliunde provideri non possit, ut patet ex lectura dict. cap. 13. sess. 25. & cap. 7. sess. 21. de Reformat. Unde quatenus Ecclesia de redditibus

provideatur, Parochiani exonerandi essent.

3. **AD ALTARE MAJUS.** In Parochiali Ecclesia Tabernaculum Sanctissimi debet retineri in Altari Majori tamquam digniori, ut declaravit Sac. Congr. Episcop. apud Nicol. in fosc. verb. Eucharistia num. 20.

4. **PRO OVIBUS SUIIS.** Parochus tenetur diebus saltem Dominicis, & Festis de præcepto Sacrificium Missæ pro Ovis suis applicare, etiamsi congruam in solitis incertis haberet, quicquid dicant in contrarium nonnulli Theologi moderni morales blandientes Parochis, illosque ab hoc onere eximentes, si tenuem habeant congruam, & incertam: Nam ista propositio erronea est, & articulo maturè discussa non semel, sed bis terque illam rejecit Sac. Congregat. Concilii, cujus est Concilium Trident. interpretari, die 10. Maii 1681. in Lucana, & 10. Maii 1691. in Mileten. 7. Julii ejusdem anni in responsione ad quar-

quantum, & in Cremonen. 20. Decembris 1692.

5. In quarum caularum secunda proposito Dubio -- *An Parochus celebrare teneatur, & Sacrificium applicare pro Parochianis in diebus Dominicis, & Festis sive habeat congruam, sive non?* responsum fuit -- *Dentur, Decreta: Quæ referuntur à Nicol. in flosc. verb. Parochus num. 34. & à Fagnan. in cap. Fraternitatem n. 94. & 95. de Sepultur.*

6. In tertia, in qua recursum habuit Archipresbyter Rosarni à Decreto Episcopi, quo adstringebatur ad applicandum Sacrificium pro populo in omnibus Dominicis, & Festivis diebus, & partibus informantibus propositum fuit Dubium *An Decretum Episcopi super applicatione Sacrificii pro populo omnibus Dominicis, & Festis diebus sit observandum?* responsum fuit -- *Affirmativè.* Undè caveant Parochi à sententiis, & opinionibus hujusmodi Probabilistarum.

7. **IN EADEM ECCLESIA PAROCHIANOS MATRIMONIO CONJUNGERE.** Matrimonia per verba de presenti, juxtà monitum Concilii Trid. sess. 24. de reform. Matr. cap. 1. fieri debent in Ecclesia, si non de necessitate præcepti, saltem de honestate, ut dixit *Rot. coram Coccin. decis. 1887. n. 37.* Undè quamvis plures Authores, quos refert, & sequitur *Barbos. in dist. cap. 1. nu. 35.* firment, quod Episcopus non possit prohibere, ne Matrimonia Domi celebrentur, sed tantum hortari, ut in Ecclesia fiant: Nihilominus in praxi contrarium semper tenui; Quia cum Ecclesia sit proprius locus Sacramentorum, & maximè deceat in ipsa ministrari, laudandi sunt Episcopi, qui id prohibent fieri sine eorum licentia extrà illam, sequendo vestigia *Divi Caroli in Concil. Mediol. 2. tit. 1. Decret. 28.* & est laudabilis usus, vel praxis Urbis, nam *Card. Vicarius, nec etiam Principibus, & Magnatibus hujusmodi licentiam concedere solet.*

8. Etenim si *Nicol. lucubr. Civil. lib. 1. tit. 10. de nupt. num. 60. vers. ultimo, & Bifs. in Hierug. litt. M. nu. 108. §. 16.* non dubitant affirmare, quod, si Parochus præcepto Episcopi non pareret, sed sine

licentia Domi Matrimonium celebraret, mortaliter peccaret, evidens est, quod licitè, & laudabiliter valet Episcopus prohibere, ne Matrimonia sine licentia extrà Ecclesiam celebrentur: Aliàs non peccaret Parochus, si præceptum esset injustum, juxtà opinionem *Barbosæ, & sequacium;* Cum non valet ad observantiam præcepti injusti subditum cogere, *cap. Si Episcopus quis fortè 11. q. 3. & benè hoc probat Bifs. supra allegatus.* Nec curandum de *Antonello de loco legal. lib. 1. cap. 7. num. 3.* quia iste Author cæca fide *Barbosæ* sequutus, cæteris auctoritatibus per eum allegatis, nil prorsus de prohibitione Episcopi agentibus, vacuus remanet.

9. **PER NOS, ET EXAMINATORES SYNODALES.** Quamvis agatur de provisione Parochiæ de novo erectæ, in qua forma concursus adhibenda non est, & pro prima vice confert liberè Episcopus, *Pac. Jord. lucubr. tom. 2. lib. 10. tit. 7. num. 102.* Adhuc super idoneitate, seu approbatione personæ provisæ examen faciendum erit per Episcopum unà cum Examinatoribus Synodalibus, ut advertit *Card. de Luc. de Paroch. disc. 37. num. 51.*

Erectiones novæ Parochiæ per
dismembrationem.

FORMULA III.

SUMMARIUM.

- 1 *Causa legitima dismembrationis est periculum Animarum.*
- 2 *Distancia Ecclesiæ Parochialis, quando sit causa justa dismembrationis, vel non? num. 3. 4. 5. 6. & 7.*
- 3 *Causa justa dismembrationis non probatur assertionem Episcopi, sed de ea debet in Actis constare.*
- 4 *In dismembratione Ecclesiæ Parochialis vocandus est Rector, & alii interesse habentes; aliàs nulliter agitur.*
- 5 *In dismembratione Parochiæ exigitur Capituli consensus.*
- 6 *Abundantia reddituum Ecclesiæ Matricis*

triciſt eſt cauſa ſufficiens diſmembrationis.

Redditus non diſmembrantur, ſi Reſtor præter congruam parum haberet, ſed coguntur Parochiani, quorum intuitu fit diſmembratio, ad providendum novum Parochum de viſtu. ibi.

12 Eccleſia Matrix, ſi in diſmembratione paſſa fuit diminutionem reddituum, efficitur Patrona novæ Eccleſiæ.

13 Eccleſiæ Matrix, quæ paſſa fuit diſmembrationem, reſervatur honor arbitrio Epifcopi.

Accedere ex obligatione ad aliquem locum, eſt ſpecies ſubjectionis, ibid. & num. 14.

15 Decimæ, niſi in diſmembratione explicitè assignentur, non cenſentur translate, præter personales, & ſacramentales.

EA quæ Animarum pericula ſubmovent, & populo Nobis credito levamina præbent, ſedulo amplectentes, ſupplicationibus hominum loci N. inclinati, quibus dolentes Nobis expoſuerunt, quod cum ipſi ſub Parochia Sancti N. loci N. exiſtant, ob diſtantiã, ac etiam impedimentum fluminis N. quod Parochiam dividit, & rapidè decurrit, præſertim tempore hyemali, necnon aſperam, cœnoſamque viam, non poſſint, præſertim ſenes, pueri, ac debiles, abſque maxima difficultate, & periculo, ad illam, pro Divinis Officiis audiendis, & percipiendis Sacramentis, accedere, quodque perſepè ſine illis quamplures ex hac vita diſceſſerint, & Reſtor dictæ Parochialis S. N. conſentire noluerit, quod alius Sacerdos ipſis incolis in Capella, ſeu Eccleſia Sancti N. ibidem conſtructa, & de ſupplectilibus ſacris decenter proviſa, Miſſam diebus Feſtis celebret, & Sacramenta in caſu neceſſitatis miniſtret; ad diſmembrationem, & erectionem reſpectivè novæ Parochiæ, prout ipſi poſtularunt, procedere ſtatuiſimus. Idcirco facta per Vicarium noſtrum Generalem de mandato noſtro diligenti ſuper expoſitis inquisitione, ac deſuper conſtructo, citato, & audito d. Reſtore, proceſſu, de quo in actis, illiſque plenè per Teſtium depoſitiones, aliſque legitimis probationibus concludenter verificatis, dictum locum N. cum Eccleſia Sancti N. hominibus, incolis, & familiis, à Parochiali Eccleſia loci N. auctoritate ordinaria, & à Sac. Concil. Trid. cap. 4. ſeſſ. 21. de Reform. delegata, ſeparamus, dividimus, & diſmembramus, & dictam Eccleſiam S. N. cum ſuo loco, & diſtrictu à ... uſque ad ... accedente etiam conſenſu noſtri Capituli, in Parochialem Eccleſiam erigimus, & conſtituimus, dantes, & concedentes incolis, & habitatoribus dicti loci, & diſtrictus plenam, & liberam poteſtatem in dicta Parochiali Eccleſia, Sepulturas, Cœmeterium, Fontem baptiſmalem, Campanile, Campanas, & alia inſignia Parochialitatis conſtruendi, & retinendi.

Pro exercitio autem Curæ in populum, & utriuſque ſexus fideles in dicto loco, & diſtrictu habitantes, dilectum Nobis in Chriſto Presbyterum N. (qui populo, & Eccleſiæ prædictis in Divinis, & Animarum Cura regenda præſit) tamquam habilem, & idoneum, ab examinatore Synodalibus examinarum, & approbatum præficimus, & deputamus, illique adminiſtrationem omnium Sacramentorum Eccleſiæ committimus, & de Eccleſia Parochiali ſic noviter erecta providemus.

Volentes, & mandantes Reſtori dictæ Eccleſiæ Parochialis S. N. Matricis, & aliis pro tempore exiſtentibus, quatenus de cætero ſingulis annis in Feſtivitibus Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti, & Sancti Jo: Baptiſtæ de univerſis fruictibus Decimalibus, & aliorum bonorum, quos ipſe intra, & extra limites dictæ Eccleſiæ Matricis abundanter percipit, ſcuta dicto N., & ſuis in dicta Eccle-

Ecclesia Parochiali per Nos erecta Curatis successoribus in duabus æqualibus ratas, nec non tempore messis salmas . . . frumenti, & tempore vindemiarum cados . . . vini, liberè persolvat, & tradat respectivè. Quam pecuniæ, & fructuum quantitatem, & ratas ex redditibus Ecclesiæ Matricis percipiendas, una cum elemosinis, & oblationibus univèrsis pro ipsius novi Curati, & successorum sustentatione, onerum supportatione, & congrua taxamus, & assignamus.

Reservantes Rectori præfatæ Ecclesiæ Matricis N. illiusque successoribus (ex quo redditum suorum dismembrationem patitur) jus personam idoneam infra terminum à jure statutum toties quoties per cessum, vel decessum vacare contigerit, in dicta Parochiali Ecclesia N. à Nobis, vel successoribus nostri instituendam, præsentandi.

Præterea, ut dictæ Ecclesiæ Matrici *debitus honor* servetur, & exhibeatur, volumus, quòd singulis annis in festo N. dictus novus Curatus, sui que successores una cum in colis Parochianis processionaliter ad eam accedat, & ad Altare Majus unum cereum ceræ elaboratæ librarum . . . in signum recognitionis offerat. Et ita Auctoritate qua supra dismembramus, erigimus, assignamus, & reservamus omni &c. Datum hac die &c.

N. Episcopus N.

Lectum, latum, & publicatum fuit supradictum Decretum dismembrationis, & erectionis respectivè, die . . . in Aula . . . præsentibus N. N. Testibus &c.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

1. **ANIMARUM PERICULA.** Justa causa dismembrationis regulariter reputatur illa, quæ implicat periculum Animarum, cui alia ratione prospici, & occurrì non potest. Lotter. *de re Benef. lib. 1. cap. 28. nu. 2. & seqq.*

2. **OB DISTANTIAM.** Ut plurimum damnum spirituale Parochianorum oritur ob distantiam, asperitatem, & incommoditatem itineris, qua impediuntur, præsertim tempore hyemali, ut nec ipsi ad Ecclesiam Parochialem, nec Parochus respectivè ad illos occasione infirmitatis pro administratione Sacramentorum sine periculo, aut magno incommodo non valeant accedere; & his circumstantiis concurrentibus, Episcopus vigore *Concil. sess. 21. de reform. cap. 4.* in novata dispositione *cap. Ad audientiam de Eccles. ædific.* solet, immò debet ad dismembrationem procedere, & novam Parochiam, vel

si magis expedire dijudicet, Vicariam perpetuam erigere, Nicol. *in fosc. verb. Parochus.*

3. **SINE ILLIS.** Ob numerositatem populi, Episcopus cogit Rectorem ad assumendum Coadjutorem in exercitio Curæ: At ob distantiam loci, etiam invito Rectore, quamvis exempto, ad dismembrationem potest devenire, absque eo quod teneatur expectare, quod aliqui ex Parochianis decedant sine Sacramentis, ut probant decisiones Rotæ, quas expendit Graz. *de Benef. part. 12. cap. 4. num. 9. & seqq.* & sequitur Pac. Jord. *lucubr. tom. 2. lib. 10. tit. 31. nu. 6.* Nihilominus si de hoc in Processu constaret, provisio Episcopi esset innixa firmiori fundamento, Rot. *decis. 32. num. 2. & decis. 34. num. 6.* post Tambur. *de jur. Abb.*

4. **CONSENTIRE NOLUERIT.** Etenim si in loco adesset Oratorium, vel Ecclesia publica, in qua Parochus per suum Coadjutorem vellet Missas diebus Festis celebrare, & Sacramenta Pœni-

Pœnitentiæ, & Eucharistiæ administra-
ri facere, tunc Episcopus à dismembra-
tione, quæ dicitur species alienationis
abstinere potius deberet, quàm illam ad
effectum perducere, quia tali casu dicitur
consultum Parochianis à Matrice distan-
tibus, ex animadversis à Ric. *prax For.*
Eccles. resol. 486. num. 6. vers. Limitatur part.
r. & à Card. de Luca annot. ad Concil. disc.
16. num. 2. & Paroch. disc. 34. per tot.

5. Ut enim unitas Parochialis non
dividatur, jurisdictio Territorialis non
fecetur, & redditus illius diminutionem
non patiantur, non de facili devenien-
dum est ad dismembrationem, sed iustis
de causis (quas enumerant Barbof. *supra*
Concil. d. cap. 4. & Corrad. prax. Benef. lib.
3. c. 2. n. 5. & seqq.) bene perpensis Episco-
pus consensum præbeat.

6. Verum tamen est, quod cum fre-
quenter ad formalem dismembrationem
soleat deveniri, quando Parochianorum
pars, vel Communitas, quæ id petit ob
distantiam loci, & magnam incommodi-
tatem itineris, congruè dotat Novam Pa-
rochian erigendam, ut observat Card. de
Luc. *de Decim. disc. 12. nu. 8.* & tunc obla-
tio Cappellani, seu Coadjutoris pro ad-
ministracione Sacramentorum diebus Fe-
stis per Rectorem facta ad evitandam dis-
membrationem, non est sufficiens ad re-
tardandam novæ Parochiæ erectionem,
sed ad illam iustè proceditur, ea non ob-
stante, ut declaravit Sac. Congr. Concilii
in Januen. 16. Januar. 1694. quod est con-
tra opinionem Rotæ *in Oveden. de anno*
1681. quæ decisio allegabatur in dicta
Causa Januen. favore Matricis.

7. **PROUT IPSI POSTULA-
RUNT.** Licet Episcopus vigore citati
cap. 4. sess. 21. de Reform. possit, & debeat
ex officio quotiescumque expediens judi-
caverit novas Parochias erigere: Atta-
men quia ut plurimum hoc fiat ad pe-
titionem incolarum, ut ponderat Card.
de Luc. *dicto disc. 10. de Decim.* ideo-
que hæc circumstantia exprimitur in for-
mula, juxta praxim Corrad. *lib. 3. cap. 2.*
num. 9.

8. **CONCLUDENTER VE-
RIFICATIS.** Ad probandam ju-
stam causam dismembrationis, non suf-

ficat assertio Episcopi, sed debet de ea in
Actis per legitimas probationes constare,
Rot. coram Seraph. *decis. 1062. num. 1.* &
coram Othob. *decis. 6.* Card. de Luc. *de*
Benef. disc. 45. & de Paroch. disc. 35. utro-
bique num. 6.

9. **CITATO, ET AUDITO
RECTORE.** Citatio, & vocatio Re-
ctoris Ecclesiæ Matricis, aut illius Defen-
soris deputati, quatenus esset vacans, in
dismembratione facienda, est omninò ne-
cessaria, aliàs etiamsi concurrerent iustæ
causæ, & requisita pro illa obtinenda,
adhuc nulliter esset facta, si sine hac so-
lemnitate fieret, Garz. *de Benef. part. 12.*
cap. 3. num. 3. & seqq. Nicol. lucub. Can.
lib. 3. cap. 48. de Eccles. ædific. num. 1. vers.
Non verò, Corrad. prax. ubi supra. Sicuti
vocandi quoque essent cæteri interesse
habentes, quando Episcopus vellet novæ
Ecclesiæ Parochialis unire Beneficia; &
qui sint, habes apud Barb. *supra Concil.*
sess. 8. de refor. c. 6. n. 19. cum seq.

10. **ACCEDENTE CONSEN-
SU ETIAM NOSTRI CAPI-
TULI.** Quod in dismembratione exi-
gatur consensus Capituli Cathedralis,
præsertim Parochiæ non exemptæ, tenent
Pac. Jord. *lucubr. tom. 2. lib. 10. tit. 30. num. 2.*
Piafec. prax. Episc. part. 2. cap. 5. art. 3. nu. 89.
Fagnan. in cap. Ad Audientiam nu. 54. de Ec-
cles. ædific. Quando tamen absolutè non ad-
mittit Garz. *de Benef. part. 12. cap. 3. nu. 11.*
& 12. ubi conclusionem ait procedere,
quando agitur de dismembratione Ecclesiæ
inferioris, & Episcopus est Auctor dismem-
brationis, non autem quando Episcopus
non est Auctor sed Rector Ecclesiæ non
habentis Collegium, quia tunc sufficere
solam auctoritatem Episcopi putat.

11. **ABUNDANTER PER-
CIPIT.** Abundantia reddituum dicitur
causa sufficiens dismembrationi, jux-
tà *decis. Seraphin. 428.* Sicuti enim quan-
do Parochia est numerosa, & pinguis,
debet Parochus Coadjutori sibi dato
mercedem solvere, Nicol. *in flosc. verb.*
Cura num. 7. ità quando juridica sit dis-
membratio, debet diminutionem fru-
ctuum pati. Si verò Ecclesiæ Matrix bo-
nis non abundaret, & Rector præter
congruam nihil, aut parum haberet,
non.

non posset Episcopus ex ea aliquam partem fructuum, seu bonorum dismembrare sed Parochiani, quorum intuitu nova Parochia, sive Vicaria perpetua erigitur compellendi essent ad providendum Parochum, seu Vicarium de victu, ad formam litteralis dispositionis dicto cap. 4. sess. 21. de Reform. ubi Barbof. num. 15. Bellett. disq. Cleric. par. 1. §. 14. de Cler. debit. num. 7. & tribus seqq. Gallemart. supra dicto cap. 4. num. 7. ubi ex doctrina Host. quam reassumit etiam Abb. in cap. Ad audientiam num. 7. de Eccles. edific. firmat, quod, si Parochiani ob paupertatem alimenta Curato assignare non possent; Episcopus teneretur dare de suo.

12 **RESERVANTES**. Ecclesia Matrix, quæ passa fuit dismembrationem, & de suo contulit pro sustentatione Rectoris novæ Parochiæ, acquirit Juspatronatus, juxta dispositionem Text. dicto c. Ad audientiam, ubi Glof. de Eccles. edific. Garz. de Benef. part. 5. cap. 9. num. 57. Barbof. supra dicto cap. 4. sess. 21. nu. 13. Fagnan. in dicto cap. Ad audientiam num. 35. & 38. ubi quod, si adesset, qui novam Ecclesiam Parochialem fundasset, efficeretur Compatronus unâ cum Rectore Matricis.

13 **DEBITUS HONOR**. Præter Juspatronatus, debet in dismembratione reservari Ecclesiæ Matrivi debitus honor ad formam præscriptam in sæpè citato cap. Ad audientiam de Eccles. edific. in signum recognitionis, puta quod illi solvatur census annuus moderatè arbitrio Episcopi taxandus, vel quod reservetur sepultura, vel celebratio Missæ solemniter cantandæ in Ecclesia noviter erecta à Rectore Matricis in die Sancti Titularis, aut in aliqua ex solemnioribus anni Festivitatibus, vel demum quod Curatus novæ Parochiæ, & illius successores unâ cum Parochianis semel in anno pœssionaliter v. g. in die Corporis Christi, accedant ad Ecclesiam Matricem, & cereum offerant, & hæc reservatio fortè est aliarum magis propria, cum accedere ad aliquem locum sit species subjectionis, Rot. coram Seraphin. decis. 15. num. 3.

14 Quem autem ex his honoris signis debeat impendere Ecclesia filialis erga Matricem, prudentiæ Episcopi in dis-

membratione facienda relinquitur, qui perpenis loci, Ecclesiæ, Rectoris, distantia, incolarum facultatibus, moribus, qualitibus, & congruentiis, unum ex recensitis reservabit, ut monet Glof. in dicto cap. Ad audientiam in verbo honor, nulla habita prorsus consideratione ad expressum in formula, quia tantum pro exemplo reponitur.

15 Item varianda erit formula juxta facti variationem, si per unionem Beneficiorum, aut per alicujus Fundatoris liberalitatem, aliove modo de congrua novo Rectori provideretur, hoc unum advertendo, quod Decimæ Prædiales, nisi in dismembratione ab Episcopo explicitè assignentur pro sustentatione novi Curati, non censerentur in eum translatae, neque pro rata, sed remanerent integraliter Rectori Matricis, ex quo Decimæ solent dari in defectum aliorum reddituum, & est in arbitrio Episcopi, sive de Decimis, sive aliis fructibus providere, prout explosis antiquorum sententiis, per Text. Concilii cap. 4. sess. 21. de reform. latè probat Fagnan. in cap. Cum contingat. de Decim. à num. 31. usque ad 51. Decimæ verò personales, seu sacramentales transeunt ipso jure in Curatum, & Parochialem noviter erectam, Fagnan. ibid. num. 52.

Erectionis Canonicatus.

FORMULA IV.

SUMMARIUM.

- 1 Capitulum Canonicorum non potest remittere residentiam, neque servitium condonare, non obstante consuetudine, sive Ecclesiæ statuto.
- 2 Canonici non possunt exire à Choro, nisi petita venia ab Archidiacono, sive Præsidenti sub pœna punctationis.
- 3 Canonici non interessentes concioni tempore Quadragesimæ possunt punctari.
- 4 Canonici absentes à Choro non debent pu-

- puniri, nisi in ammissione distributionum.
- Episcopus auget punctaturas, quando servitium Ecclesie negligitur, ibid.
- 5 Canonici gravatus pensione, si sit absens, perdit tertiam partem fructuum, qui remanent pensione detracta.
- 6 Canonici tenentur inservire pro Diacono, & Subdiacono tam Dignitatibus, quam eorum Coadjutoribus solemniter celebrantibus, non obstante contraria consuetudine.
- Et non tantum Canonici juniores, quam etiam antiquiores, ibid.
- Dignitates numquam debent Canonici inservire, ibid.
- 7 Canonici non tenentur Episcopo Pontificalia exercenti inservire, nisi servata forma Concilii.
- 8 Canonici, qui de consuetudine solen Choro inservire per totum annum non gaudent vacatione Concilii. Qui d si vigore statuti?
- 9 Canonici, & Dignitates debent per se ipsos officia Ecclesie obire.
- Canonici Dignitatibus impeditis celebrant pro illis, nec substituunt aliam Dignitatem, ibid.
- 10 Dignitates Collegiatarum tenentur exercere officium Hebdomadarii, & alia munia subire sicuti ceteri Canonici.
- 11 Canonici Theologus, & Canonicus Penitentarius non possunt se eximere ab officiis Capitulis: Neque eis competit precedentia super alios Canonicos non obstante consuetudine, quia non sunt Dignitates.
- 12 Canonici Jubilati non tenentur per se ipsos, neque per alios Missam Conventualem celebrare.
- 13 Canonici, qui per 40. annos laudabiliter non inservierunt Ecclesie, non deberent Indultum jubilationis obtinere, etiam si aliqua alia commiserationis causa intercederet.
- 14 Episcopus non erigit Canonicatus, nec Dignitates sine consensu Capituli.
- 15 Capitulum se irrationabiliter opponens erectioni Canonicatus, seu Dignitatis, consensum supplet Sac. Congr. Concilii.
- 16 Canonici non possunt à Capitulo voce privari, neque ad officia inhabiles declarari.
- 17 Canonici non electa Sepultura, debent tumulari in Cathedrali, si ad sit Sepulchrum separatum.
- Et idem procedit in Clericis non attempto Sepulchro majorum, ibid.
- 18 Canonici Cathedralis non sunt in Dignitate constituti, sed dicuntur Clerici primi ordinis.
- 19 Præminentia jubendi in Choro spectat ad digniorem præsentem, non obstante solito in contrarium.
- 20 Prima Dignitas Cathedralis præcedit Vicario Capituli.
- 21 Canonici, & Capitulum Cathedralis præcedunt Magistratum secularem in omnibus functionibus Ecclesiasticis.
- 22 Canonici Collegiatae à jure insignis, præferuntur Canonici Collegiatae insignis per Indultum.
- 23 Canonicus Sacerdos præfertur in Choro, & in aliis functionibus Canonico non Presbytero, licet prius recepto.
- 24 Capituli convocatio spectat ad digniorem, etiam si non sit in Ordinibus Sacris constitutus.
- 25 Episcopus ex aliqua justa causa potest convocacionem Capituli prohibere. Canonici, qui sunt presentes, constituunt Capitulum nulla habita ratione absentium, ibid.
- 26 Vicarius Generalis Episcopi non debet interesse, nec votum dare in Capitulo.
- Possit tamen interesse ad sedandum tumultum Canonicorum, ibid.
- 27 Canonici non possunt recipere eleemosynam pro celebratione Missæ Conventualis, quia tenentur illam applicare quotidie pro Fundatoribus.
- 28 Canonici non possunt novum signum sive habitum in Choro deferre absque Indulto Apostolico.
- Neque in celebratione Missa uti palmatoria, ibid.
- 29 Canonicus Coadjutor non est verus Canonicus, sed factus.
- Canonici Coadjutoris antianitas computatur à die obitus coadjuti, ibid.

Canonicus Coadjutor non potest interesse Capitulo quando intervehit coadjutus, *ibid.*

Canonicus Coadjutor tenetur ad omnes functiones, quas facere deberet coadjutus, & sedere in ultimo loco sui ordinis, *ibid.*

30 Canonicus Supranumerarius institui, & creari non potest.

31 Canonicus, qui optavit aliam Præ-

bendam per impetrationem Datarie, dicitur novus Canonicus, & debetur ei locus secundi Canoniciatus.

32 Præbyteri, qui non habent officium, neque Beneficium in Ecclesia Cathedrali, non possunt cogi, ut inserviant Canonicis in Missis cantatis.

33 Neque ut assistant in Cathedrali functionibus Ecclesiasticis, nisi adsit consuetudo.

N. Episcopus N.

Testatorum pias voluntates, ut exequantur, libenter intendimus. Sanè sicut accepimus N. N. in humanis agens in ultimo, cum quo decessit Testamento, inter alia per eum disposita voluit, & mandavit, quod ex suis bonis unus Canoniciatus cum Præbenda in Ecclesia Cathedrali N. erigeretur, & institueretur, dictusque Canoniciatus pro prima vice per dilectum Nobis in Christo N. d. Testatoris Executorem Testamentarium; pro futuris verò vicibus per N. nominaretur, prout in d. Testamento plenius continetur: Volens propterea idem N. Executor præmissa executioni demandari facere, Nobis humiliter supplicavit, quatenus auctoritatem nostram ordinariam interponere dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, in d. Ecclesia Cathedrali N. unum Canoniciatum, unamque Præbendam præter illos, qui ad præsens existunt, pro uno Presbytero, seu Clerico Sæculari, qui ad instar veterum dictæ Ecclesiæ N. Canonicorum locum, & stallum in Choro, ac vocem in Capitulo habeat; necnon in ea in Processionibus, ac Missarum, & aliorum Divinorum Officiorum celebrationibus, cæterisque universis actibus publicis, & privatis aliis d. Cathedralis Canonici se conformare, ac in eadem *personaliter residere, eique in Divinis deservire* debeat, & teneatur, auctoritate nostra ordinaria *habito consensu nostri Capituli*, ac aliàs omni meliori modo, quo possumus, *cum honoribus, & oneribus universis* perpetuò erigimus, & instituimus, illique sic erecto, & instituto pro ejus Dote, & Præbenda, & onerum supportatione bona stabilia fructifera hæreditaria d. N. & per d. N. Executorem Testamentarium assignata in Territorio N. vocabulo N. valoris ..., ut constat in Actis nostræ Curie, tradimus, applicamus, & appropriamus, ita quod liceat Canoniciatum obtinenti per se, vel per alium nomine d. Canoniciatus, & Præbendæ propria auctoritate corporalem, realem, & actualem possessionem bonorum hujusmodi cum omnibus juribus, & pertinentiis suis liberè apprehendere, & apprehensam perpetuò retinere, illorumque fructus, redditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque percipere, erigere, levare, locare, dislocare, ac in suum usum convertere, & utilitatem, cujusvis licentia desuper minimè requisita.

Et insuper prædicto N. Executori Testamentario pro prima vice, reliquis verò vicibus N. ejusque hæredibus in perpetuum Juspatronatus, & præsentandi personas idoneas ad dictum Canoniciatum, & Præbendam erectos, & institutos, quoties illum, seu illos tam hac prima vice, ut præfertur, quam ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus, & ex quarumcumque personis obitu, vel cessu etiam apud Sedem Apostolicam, ac in quibuscumque anni mensibus va-

Monacelli Form. Pars I.

D care

care contigerit, per Nos, seu Episcopum pro tempore existentem, ac nostrum, seu illius Vicarium in spiritualibus Generalem in d. Canonatu, & Præbenda ad eandem præsentationem instituendam; itaut Juspatronatus, & præsentandi huiusmodi Laicorum futuris Patronis prædictis non ex privilegio, sed ex veris, primæva, reali, actuali, integra, & omnimoda fundatione, & dotatione laicali dumtaxat competat, & ad illos pertineat, & quæcumque præsentationes per ipsos Patronos tempore debito ad d. Canonatum, & Præbendam faciendæ, & efficaces sint, & existant, suosque plenarios, & integros effectus fortiantur, & obtineant, eadem auctoritate, & aliâs omni alio meliori modo, quo possumus, concedimus, & reservamus. In quorum &c.

N. Episcopus N.

Lectum, latum, & publicatum fuit supradictum Decretum erectionis Canonici die... in Aula... præsentibus N.N. Testibus.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

1 PERSONALITER RESIDERE.

Canonici residentiam facere coguntur ad formam *Concilii cap. 12. sess. 24. de Reform.* quam Capitulum non potest remittere, neque servitium condonare, non obstante statuto, sive consuetudine, quæ potius dicitur corruptela, *Ricc. dec. Cur. Archiep. Neap. 65. n. 4. & 5. p. 4. Piafec. prax. Episc. par. 2. c. 3. tit. de visit. Eccles. Cathedr. n. 13. Rot. cor. Coccin. dec. 108. n. 4. & 5. Sac. Congr. Concilii in Tarracon. 26. Januar. 1697. in Giennen. Vacationum 26. Januarii 1700.*

2 Ideoque non possunt exire à Choro, nisi petita venia ab Archidiacono, sive Præsidenti per salutationem, sub pœna punctationis, ut præscripsit *Sac. Congreg. Episcop. in Aprutina 18. Aprilis 1617.* & nuper declaravit *Sac. Congr. Concil. in Lunen. Sarzanen. 4. Junii 1701.*

3 Et non interessentes concioni tempore Quadragesimæ possunt punctari, quia est defectus gravis, & mali exempli *Nicol. in fosc. verb. Canonicus n. 33. Pignat. consult. 206. num. 61. tom. 4. apud quos plura Decreta referuntur.*

4 Absentes autem à Choro non debent puniri, nisi in amissione distributionum, *Sac. Congregat. Episcop. in Fundana 16. Martii 1593.* & alia Decreta refert *Nicol. loco max citato num. 31. vers. Sed qui.*

At si amissio ista esset parva, & contumacia Canonici absentis perdararet, frequenter servitium negligendo, tunc posset Episcopus punctaturas augere, *Nicol. ubi supra verb. distributiones num. 1. Sac. Congr. Concilii in Civitatis Castellane 15. Junii 1697.*

5 Si verò Canonicus absens Canonatum possideat gravatum pensione, dummodò de licentia sit absens, perdet tertiam partem fructuum, qui remanent pensione detracta, ut respondit *Sac. Congr. Concil. in Romana 3. Junii 1690.*

6 EIQUE IN DIVINIS DESERVIRE. Canonici tenentur inservire pro Diacono, & Subdiacono Dignitatibus, ac eorum Coadjutoribus solemniter celebrantibus; non obstante contraria consuetudine, sic sæpe sæpius declaravit *Sac. Rituum Congregatio, nempe in Clusina 20. Aprilis 1641. in Brundusina 7. Decembris 1655. in Tolentinat. 7. Aprilis 1696. & in Neapolis. 25. Januarii 1698.* in qua plura alia Decreta fuerunt allegata, & tenuit quoque *Sac. Congregat. Concilii in Casalen. 28. Januarii 1690.* Et non tantum Canonici juniores, sed etiam antiani, & antiquiores, ut eadem *Sac. Congr. Rituum* declaravit *in Nucerina Paganorum 25. Januar. 1698.* Dignitates verò numquam debent Canonici celebrantibus inservire, ut fuit à *d. Sac. Cong. Rituum responsum in Gerunden. 3. Octobris 1699.*

7 Non

7 Non tenentur Canonici Episcopo Pontificalia exercenti inservire, nisi servata forma *Concilii sess. 23. cap. 8. de ref.* ut declaravit *Sac. Cong. Rituum in Sarnen. 9. Junii 1696.* ad quam *Sac. Cong. Concil. sub die 11. Junii 1695.* causam remiserat. Cum enim quæretur, an Canonici tenerentur assistere Episcopo ordinationem in Cappella Palatii Episcopalis tenenti, fuit responsum -- *Servetur omnino dispositio Sac. Concil. sess. 23. de Refor. c. 8.* ubi disponitur, quod ordinationes præfertim Sac. Ordinum in Cathedrali Ecclesia publicè celebrentur.

8 Si ex consuetudine Ecclesiæ soleant Canonici Choro inservire per totum annum, non gaudent vacatione Concilii, *Barb. in Sum. decis. Apostol. verb. Canonici absentes collect. 101. n. 5. Sac. Cong. Concil. in Illerden. 28. Novembr. 1699.* Quando autem hoc servitium reperiretur injunctum à statuto, posset indulgeri vacantia, ut refert decisum *Garz. de Benefic. part. 3. cap. 2. n. 311. & 312.*

9 Canonici, & Dignitates tenentur per se ipsos officia Ecclesiæ obire, & non per substitutos, *Conc. Trid. sess. 22. cap. 4. & sess. 24. cap. 12. de Refor. Garz. de Benef. par. 3. cap. 2. num. 494. & seqq. Barbos. de Can. cap. 31. n. 3. 4. & seqq. ubi n. 61. dicit,* quod, si impediti substituant, teneantur alium æqualis gradus substituere. At hæc assertio non videtur absolute vera: Quia passim Dignitate aliqua impedita celebrant pro ea Canonici, & alii ministrant, sicuti ministrarent Dignitati, & admittunt ipsa Decreta *Sac. Congreg. Rituum in Mediolanen. 16. Maii 1643. Bellocastren. 11. Julii ejusdem anni, & in Trevisana 26. Augusti 1645.*

10 Dignitates Collegiatarum tenentur exercere officium Hebdomadarii, & alia munia subire, sicuti cæteri Canonici *Nicol. in fosc. verb. Dignitas n. 4. & in lucubr. Can. in addit. ad fosc. verb. Dignitas ubi refert Decretum Sac. Cong. Conc. in Cursulen. 29. Maii 1653. & alia congerit Pignat. consult. 80. & consult. 374. tom. 1. ac nuper declaravit ead. Sac. Cong. Concilii in Rom. contra Archipresbyterum Collegiatae S. Mariae in Cosmodin. 11. Decembris 1694. 26. Martii 1595. & 11. Februarii 1696.*

11 Canonicus Theologus, & Canonicus Pœnitentiarius non possunt se eximere ab officiis Capituli, ut respondit *Sac. Congreg. Concil. Episc. Vicensi 15. Aprilis 1690.* neque illis competit præcedentia super alios Canonicos, non obstante contraria consuetudine, quia non sunt Dignitates; Sed federe, & incedere debent secundum eorum antianitatem, *Garz. de Benef. in addit. ad par. 5. cap. 4. num. 111. Sac. Cong. Couc. in Senen. 16. April. 1695. & in Murana 11. Aprilis 1699.*

12 Canonici Jubilati non tenentur neque per se ipsos, neque per alios Missam Conventualem per turnum celebrare, *Sac. Congr. Concilii in Aquipendi 27. Martii 1697.*

13 Indultum istud jubilationis, quod est Ecclesiæ odiosum, & ideo parcè concedendum, non consistit de laudabili servitio Ecclesiæ per 40. annos præstitos, ac de aliqua alia commiserationis causa, puta infirmitatis habitualis, vel senectutis, quæ unà cum laudabili servitio concurrere debet, non solet, neque debet concedi, ut fuit ponderatum *in Maceraten. Indulti 8. Martii 1698.* in qua Indultum per subreptionem jam concessum fuit revocatum.

14 **HABITO CONSENSU NOSTRI CAPITULI.** Quamquam *Corrad. in prax. Benef. l. 2. c. 3. n. 61. cum seqq.* ac etiam in ejus formula, quam tradit ibi *n. 73. & 80. l. 4. c. 7. n. 24.* videatur sentire, quod Episcopus propria auctoritate erigere possit tam in Cathedrali, quam in Collegiata Ecclesia Canonicatus: Nihilominus hæc doctrina in praxi tenenda non est, neque sequenda: Quia, si sine consensu Capituli Episcopus Canonicatum, seu Dignitatem (quam cum eodem consensu creare potest) erigeret, nulliter ageret, ut per doctrinam *Felin. in c. Cum accessissent n. 15. de cons. necnon Fagnan. in c. Dilcto n. 18. de Præb. decisum reperies à Sac. Cong. Concil. in Clodien. 5. Julii 1608. Aquinaten. 20. Februar. 1677. in Mazarien. 20. Septembr. 1692. & in Sabinen. 14. Aprilis 1696.*

15 Veruntamen est, quod, si Capitulum irrationabiliter erectioni se opponeret, & consensum præstare nollet, illum supplet *Sac. Cong. Concil. ut practicata*

vidi in d. Sabinen. 2. Junii 1696. Et iterum suppleri petebatur in alia Amerina 25. Junii 1695. in qua Episcopus cupiens in executionem legati Testatoris duos Canonicatus erigere de novo, Capitulum assensum præbere renuit ob deficientiam reddituum, & ideo fuit rescriptum -- *Firmetur status hereditatis*, ut dignosci posset, an Capitulum rationabiliter se opponeret, necne.

16 CUM HONORIBUS. Canonici non possunt à Capitulo voce privari, neque ad officia inhábiles declarari Barb. de Canonic. cap. 42. n. 16. Fagnan. in c. cum omnes n. 38. de constit. & declaravit Sac. Congr. Concil. in Pisana 25. Junii 1695.

17 Non electa Sepultura debent sepeliri in Cathedrali, quando adsit pro illis Sepulchrum separatum, Sac. Cong. Concilii apud Pignatell. consult. 5. n. 6. tom. 3. & nuper in Narnien. 26. Septembris 1699. Quod privilegium competit omnibus aliis Clericis, non attento Sepulchro majorum, Samuel. de Sepult. disp. 5. tr. 1. contr. 9. concl. 20. num. 30. Panimol. decis. 5. per tot. Nicol. lucubr. Can. lib. 4. tit. 15. de Sepult. n. 15. Sac. Congr. Episc. in Foro sempronien. prima Septemb. 1690.

18 Canonici Cathedralis non sunt in Dignitate Ecclesiastica constituti, nisi latè sumpto vocabulo, sed dicuntur Clerici primi ordinis, Sperell. decis. 167. n. 8. & 10. Panimol. decis. 1. adnot. 6. n. 28. & duob. seqq.

19 Præminentia jubendi in Choro spectat ad digniorem præsentem, Sac. Rituum Congregatio in Cassanen. 11. Maii 1651. Lamacen. 30. Augusti 1692. Politianen. 13. Julii 1697. & in Neapol. 25. Januarii 1698. Quæ regula procedit non obstante solito, quod ista præminentia jubendi daretur Canonico Antiano, ut in d. Politianen.

20 Prima Dignitas Cathedralis præcedit Vicario Capitulari, quia cum hic habeat auctoritatem, & jurisdictionem à Capitulo, non debet præcedere primam Dignitatem, in qua Capitulum repræsentatur, Barbos. de Canonic. & Dignit. c. 16. n. 8. Sac. Ritum Congreg. in Jeracen. 9. Decembris 1634. in Nullius 2. Junii 1638. & in Ferenti na 2. Aprilis 1667.

21 Canonicis, & Capitulo Cathedralis competit præcedentia supra Magistratum Sæcularem in omnibus functionibus Ecclesiasticis, Sac. Congr. Rituum in Capuana 23. Januarii 1700.

22 Canonici Collegiatæ de jure insignis præferuntur Canonicis Collegiatæ, quæ est insignis per Indultum de recenti. Vel dic, Collegiata antiquior, quæ habet insignitatem à jure, præfertur habenti insignitatem ex privilegio posteriorem, Sac. Rituum Congreg. in Civitate Castellane præcedentiæ 13. Februarii, & in Novarien. 8. Maii 1700.

23 Canonicus Sacerdos præfertur in Choro, & in aliis functionibus Ecclesiasticis Canonico non Presbytero licet prius recepto non obstante contraria consuetudine, Pignatell. consult. 55. n. 12. tom. 3. ubi Decreta affert de more, Sac. Congreg. Rituum in Tyburtina 11. Januarii 1676. & in Prædestina 6. Septembr. 1698.

24 Capituli convocatio spectat ad majorem, seu digniorem, Innoc. & Host. in cap. 1. de major. & obed. Fagnan. in cap. Ut Abbates n. 27. de etat. & qualitat. Sac. Cong. Rituum in Neapolit. 25. Januarii 1698. ad quintum. Etiam si major, seu dignior non sit in Ordinibus Sacris constitutus, nec votum habeat, Bonac. de Hor. Canonic. disp. 2. qu. 3. punct. 3. n. 7. Nicol. lucubr. Canon. l. 1. tit. 14. de etat. & qualitat. n. 7. limit. 3.

25 Convocationem tamen potest Episcopus ex aliqua rationabili, & justa causa suspendere, & prohibere, Crispin. de visit. p. 2. §. 30. n. 3. & 4. Sac. Cong. Episc. in Regien. 4. Junii 1604. & Sac. Cong. Concil. in Lauretan. 6. Februarii 1700. in qua fuit quoque approbata conclusio, quod Canonici præsentés constituent Capitulum, nulla habita ratione absentium, juxta sensum Rotæ in dec. 85. n. 9. coram Celso.

26 Et hic nota, quod Vicarius Generalis in casibus, in quibus agendum est in Capitulo de re spectante ad Episcopum, sive suorum commodo, non debet interesse, ut respondit Sac. Congr. Concilii in Mediolanen. . . . Januarii 1587. lib. 4. fol. 223. immò in Turrinana 24. Januarii 1651. absolutè fuit dictum, Episcopi Vicarium debere abstinere interessentia in Ca-

Capitulo lib. 19. fol. 104. Et quòd si Vicarius non sit de Capitulo, non possit interesse, & si est de Capitulo, debeat egredi, quando agitur de re pertinente ad Episcopum, tenuit *Sac. Congr. Episc. & Regular. in Brundusina* 17. Januarii 1584. Nicol. in verb. *Capitulum* n. 4. Barb. *suprà Concil. sess. 25. cap. 6. de reform. num. 43.* & alia Decreta refert Pignatell. *consult. 154. tom. 4.* Et quòd non possit interesse, neque vocem habere, etiam si Episcopus sit absens, declaravit novissimè *Sac. Cong. Concilii in Hydruntina* 11. Aprilis 1699.

Possit tamen intervenire ad sedandas factiones, & tumulta vitanda Canonico- rum, nè oriantur scandala, & Canonici tenerentur illum admittere, ut assisat, non tamen, ut suffragium habeat, ut docet Ventrigl. *in sua prax. part. 2. annot. 14. §. 2. num. 15.*

27 **ET ONERIBUS.** Canonici pro Missa Conventuali, quam quotidie celebrare, & Sacrificium pro Benefactoribus, & Fundatoribus applicare tenentur, nullatenus possunt aliam eleemosynam recipere, non obstante contraria consuetudine, nec tenuitate reddituum, *Sac. Congreg. Concil. in Civitate Castellana* 4. Martii 1690. *in Hydruntina prima Mart. 1692.* & *in Cathacen.* 29. Novemb. 1698.

28 Novum signum, sive habitum in Choro assumere, & deferre non debent absque Sedis Apostolicæ Indulto, Nicol. *lucubr. Can. lib. 3. tit. 1. de vit. & honestat. Cler. num. 29.* Neque in celebratione Missæ uti palmatoria vulgò Bugia, *Sac. Cong. Rituum in Vicentina* 11. Julii 1699. in quatale Indultum denegatum fuit.

29 Canonicus Coadjutor non est verus Canonicus, sed fictus, Tondut. *qu. Benef. tom. 1. part. 2. cap. 1. §. 13. num. 6.* Et idèd illius antianitas computatur à die obitus coadjuti, Tondut. *ibid. num. 10.* Nec potest Capitulo interesse quando intervenit coadjutus, *Sac. Congr. Concilii in Narnien.* 5. Maii, & 22. Septemb. 1646. apud Pignatell. *consult. 360. tom. 1.* Tenetur tamen ad omnes functiones, quas facere deberet suus coadjutus, & sedere in ultimo loco sui ordinis, *Sac. Congreg. Concilii in Casalen.* 15. Aprilis 1690.

30 Canonicus Supranumerarius, ne-
Monacelli Form. Pars I.

que ad futuram Præbendam creari potest, quia hujusmodi expectativæ fuerunt abrogatæ à *Sac. Concil. Trid. sess. 24. cap. 19. de reform.* ubi Barbof. n. 2. Gonzal. *ad regul. & Cancell. §. 1. proem. n. 64. Sac. Congr. Concil. in Tirasonen.* 10. Maii 1698. in qua fuit denegata confirmatio talis electionis, seu institutionis.

31 Canonicus, qui mutavit Præbendam, & alterum Canonicatum obtinuit per impetrationem, dicitur novus Canonicus noviter receptus, & debetur ei locus in Choro secundi Canonicatus, Monet. *de option. Canon. cap. 5. quæst. 1. n. 12.* Barbof. *de Canonic. cap. 18. num. 16. Sac. Rituum Congregat. in Sutrina præcedentiæ* 11. Junii 1701.

32 Et hic notandum, quod simplices Sacerdotes, non habentes officium, neque Beneficium in Ecclesia Cathedrali, non possunt per Episcopum cogi ad eadem, & Canonicis interserviendum in functionibus Ecclesiasticis, seu munere Diaconi, & Subdiaconi in Missis cantantis, non obstante numero Canonico- rum, ut pluries declaravit *Sac. Congr. Concilii apud Nicol. lucubr. Can. lib. 1. tit. 22. num. 3. & 4. & in Sarnen. Servitii Ecclesiæ* 17. Junii 1690. *in Nullius S. Laurentii in Campo* 27. Januarii 1691. & recenter *in Auximana* 26. Novembr. 1701. & 19. Augusti 1702.

33 Nisi tamen adesset consuetudo immemorabilis in contrarium legitime probata: Vel ageretur de Clericis servitio Ecclesiæ adscriptis: Quia cum eis indiget, possunt cogi, dato illis assignamento competenti pro servitio, ut respondit *Sac. Congr. Episc. & Regul. Archiepisc. Cusentino* 5. Aprilis 1593. Quando etenim Clerici de redditibus Ecclesiæ non participant, non tenentur suis stipendiis militare, *cap. fin. 1. qu. 2. cap. Cum secundum de Præb. Abb. in cap. Episcopus n. 3. cod. tit.* Et de simplicibus Sacerdotibus, quod non valeant compelli ad interessendum, & assistendum functionibus Ecclesiasticis in Cathedrali, adest resolutio *Sac. Congreg. Episc. in una Castri Maris* 20. Martii 1692. *emanata partibus informantibus ad relationem cler. mem. Card. Petruccii.*

Erectionis Præbendæ Theologalis.

F O R M U L A V.

S U M M A R I U M.

- 1 Præbenda Theologalis potest erigi pro Canonicatu primò vacaturo.
- 2 Canonicus Theologus tenetur per se ipsum munus expositionis Scripturæ adimplere.
- 3 Dispositio Sac. Concilii malè servatur.

- 4 Canonicus Theologus gaudet vacatione tempore æstivo.
- 5 Intentio Concilii est, ut Clerus, & populus instruat à Theologo.
- Episcopi, qui intentionem Concilii non exequuntur, aberrant, ibid.
- 6 Clerus, & populus indigent ferè ubique Cathedesi.
- Canonici Cathedralis possunt cogi ab Episcopo, ut intersint lectioni Sacra Scripturæ per Canonicum Theologum explanandam, & adducuntur rationes n. 7. 8. 9. 10. & 11.
- 12 Episcopus præscribit Canonico Theologo materiam explicandam.

N. Episcopus N.

CUM in Decreto Concistoriali nostræ electionis ad Episcopatum N. & in ipsis litteris Apostolicis desuper expeditis, Sanctissimus D. N. CLEMENS XI. nostram conscientiam oneraverit ad erigendam in hac nostra Cathedrali Ecclesia Præbendam Theologalem, juxtà præscriptum Sacri Concilii Tridentini, hucusque à nostris Prædecessoribus numquam erectam. Volentesque propterea Nos ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ, ut decet, parere mandatis, & Decretis prælibati Concilii Trid. promptam pro viribus dare executionem: Hinc est, quod vacante Canonicatu ejusdem Cathedralis, quem dum viveret obtinebat N. illius ultimus possessor, qui extrà Romanam Curiam de mense N. proximè præteriti diem suum clausit extremum, Canonicatum prædictum *modò vacantem*, & cujus collatio ad Nos spectat, in Præbendam præfatam Theologalem vigore dicti Sac. Concilii Trid. erigimus, & instituímus pro uno idoneo Canonico, qui per se ipsum singulis diebus Dominicis anni, & servata forma ejusdem Concilii, *exceptis temporibus vacationis* de jure permissis, lectionem Sac. Scripturæ publicè in eadem Cathedrali Ecclesia, Clero populoque modo, & super materiam à Nobis, & successoribus nostris præfinitam habeat, quique in posterum perpetuis futuris temporibus Canonicus Theologus nuncupetur. Cui quidem Præbendæ Theologali sic erectæ attenta exiguitate reddituum Canonicatus ad hoc, ut idem Canonicus Theologus ejusdem onera alacrius, & commodius subire valeat, etiam nunc pro tunc, & quando casus vacationis venerit, vigore ejusdem Concilii, perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus Beneficium simplex Sancti N. erectum in Ecclesia N. quod nunc possidet N. liberè collationis, cum omnibus suis juribus, redditibus, & proventus, sine tamen præjudicio hodiè possidentis: Ita quod idem Canonicus Theologus dicto Beneficio, ut præmittitur, postea vacante licitè corporalem, realem, & actualem possessionem ejusdem, auctoritate propria liberè apprehendere, illiusque fructus, & proventus percipere, & in suos usus convertere, ac retinere possit, cujusvis alterius Superioris licentia minimè requisita, & ita erigi-

erigimus, & unimus respectivè tam ordinaria, quàm delegata auctoritate, ac alias omni. Datum &c.

N. Episcopus N.

Letum, latum, & publicatum fuit supradictum Decretum erectionis præbendæ Theologalis in Aula &c. die . . . præsentibus N. N. Testibus specialiter adhibitis, & vocatis.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

1 MODO VACANTEM. Advertat hic Episcopus, quòd erectio Præbendæ Theologalis in illis Cathedralibus, in quibus adhuc erecta non fuit, non solum potest fieri quando actu Canonatus est vacans, sed etiam pro primo Canonatu vacaturo, dummodò vacantia Canonatus affecti, in mense reservato non contingat, ad Text. Concil. d. cap. 1. sess. 5. ubi Barbof. num. 21.

2 PERSEIPSUM. Præbenda Theologalis ex Decreto Concilii cap. 1. sess. 5. de Reform. debet conferri personis idoneis, qui per se ipsos munus expositionis Sacræ Scripturæ ab Episcopo præfinitæ explere valeant, aliter facta provisio nulla, & invalida esset juxta declarationem Sacræ Congregationis Concilii, quam refert Crispian. de visit. par. 2. §. 23. num. 4.

3 At hac nostra ætate dispositio Concilii malè servatur, quia hæc Præbenda non semel confertur ab Episcopis, vel familiaribus incapacibus, vel aliis personis indoctis, qui per substitutionem alicujus Regularis explicatione aliquorum casuum conscientiæ semel, vel bis in mense in mansionibus Episcopalibus habenda, obligationi ipsis à Sac. Concil. injunctæ satisfacere arbitrantur. Undè huic malo, quod in dies in Italia ingravescit, Apostolica provisione occurrendum videtur, vel collationes per Episcopos factas contrà dispositionem Concilii, tamquam nullas sibi reservando, vel taliter provisos, qui per se ipsos sine Indulto Apostolico munus injunctum à Concilio non adimplent, ad restitutionem fru-

ctuum Præbendæ expressè gravando, illosque Sacristiæ, aut fabricæ Ecclesiæ, vel S. Petri applicando.

4 EXCEPTIS TEMPORIBUS VACATIONIS. Canonicus Theologus in mensibus Julii, Augusti, & Septembris gaudet vacatione, Pac. Jord. lucubr. to. 2. lib. 7. tit. 3. num. 38. Crispian. de visit. par. 2. §. 25. num. 9. ubi Decreta Sacræ Congregationis refert.

5 CLERO POPULOQUE. Finis, & intentio Concilii Tridentini in institutione Præbendæ Theologalis fuit, ut non solum Ecclesiastici, sed etiam cæteri fideles de populo in lege Divina instruerentur, ut non obscure percipitur ex verbis Textus, ibi -- *Ubi tam exigua est Cleri, & populi multitudo, ut Theologiæ lectio in eis commodè haberi non possit.* Et ibi -- *Saltem Magistros Scholæ, qui Clericos, aliosque Scholares pauperes grammaticam gratis doceant.* Menti propterea Concilii non videtur satisfactum, sed potius à tam salutari provisione sapientiæ plena illos Episcopos aberrare, qui tolerant, immò & præscribunt, quòd Canonicus Theologus per se ipsum, vel per alium non Clero, neque populo, sed paucis Parochis, & Confessariis sæcularibus, loco explicationis Scripturæ, quæstiones morales semel, vel bis in mense extrà Ecclesiam proponat.

6 Est ne fortè Clerus hodiernus in lege Testamenti doctior antiquo? est ne Plebs, populusvè Christianus magis edoctus, & instructus in Mysteriis Fidei, quàm esset tempore Concilii, ut debeat privari hac brevi Cathedesi? proh dolor! Et populus, & in quibusdam locis etiam Clerus ignorantia tam grandi Doctrinæ

D 4 Chri-

Christianæ laborant, ut non ad Indos, aut ad Coptos, sed ad Italos mittendi essent frequenter Instructores, & Cathedralis.

7 Si igitur explanatio Scripturæ è suggestu publicè in Ecclesia Cathedrali, & illius partis, & loci, qui facilis, & populo fructuosus est: Prout sunt præcepta Decalogi, Mysteria Fidei, & novissima hominis, ut monet Marcant. in suo Hort. Pastor. in fin. ubi de casibus moralibus agit. Et si conferentiæ casuum Episcopo placeant, hoc unum faciat, at aliud non prætermittat.

8 An autem lectioni per Canonicum Theologum faciendæ interesse debeant alii Canonici, & Sacerdotes de Clero, Sac. Congreg. Concilii in una Casenaten. 18. Junii 1648. videtur declarasse, quod sint ab Episcopo hortandi, non autem cogendi excepto Pœnitentiario, qui teneatur assistere; quamvis eadem Sac. Congreg. in Fundana de anno 1618. relata à Christophin. de visit. part. 2. §. 23. num. 10. eos cogi posse respondisset.

Hanc secundam declarationem, qua firmatur, quod Canonici, & alii Presbyteri Ecclesiæ Cathedralis possint ab Episcopo multa compelli ad audiendam lectionem Canonici Theologi, amplexi, & sequuti sunt Barbos. supr. Concil. dicto cap. 1. sess. 5. de reform. num. 14. & de Canonico. cap. 27. num. 28. Pac. Jord. lucubr. Can. tom. 2. lib. 7. tit. 3. num. 48. ubi testatur ita in sua Ecclesia Jadrensi practicasse, & appellationem à suo Decreto, & ordinatione interpositam fuisse rejectam, cui ipse quoque libenter adhæreo, motus ex sequentibus rationibus.

9 Tum quia favet alia resolutio in Urbinaten. 10. Maii 1663. quam refert Pignatell. consult. 62. num. 45. tom. 3. & aliud Decretum Sac. Congreg. Episc. in Fundana 16. Martii 1593. Tum quia Clerici in rebus honestis tenentur obedire Superiori, cap. Si autem vobis 11. quest. 3. Tum demum quia Clerici omnes tenentur ignorantiam evitare, & legem scire, ut alios erudiant: Ignorantia enim scripturarum, ignorantia Christi est, nec excusatione digna, nec venia, c. Ignorantia, & cap. Sicut stellas dist. 38. Et

cum hæc deficientia assistentiæ Cleri Cathedralis sine scandalo Laicorum non possit evenire, sequitur quod possint cogi, ut scandalum vitetur, ut probat Text. in cap. Cum ex injuncto, §. Super de nov. oper. nunc. ubi Glof. Hicque verum sit dicere, quod attendendum est, quod dicit secundum honestatem, & quod expedit secundum utilitatem, ad Text. in cap. Magnæ de vot. & vot. redempt.

10 Cætera autem Decreta ejusdem Sac. Congregat. Concilii, & præsertim in Civitatis Plebis 15. Martii 1692. quibus declaratum fuit, quod Canonici, & Presbyteri non Confessarii non possint cogi, sed tantum hortari ad interessendum conferentiis casuum conscientiarum, non obstant, quia de his non loquimur; sed de lectione, & explicatione Sac. Scripturæ in Ecclesia Cathedrali publicè ex suggestu coram Clero, & populo ad præscriptam formam Concilii habenda, in qua conveniens est, quod Canonici, & Presbyteri servitio Cathedralis addicti interveniant, & assistant non solum, ut erudiantur, sed ut vitetur scandalum, & præbeant bonum exemplum Laicis: Multo plus enim intelligitur, quod oculis videtur, quàm quod aure percipitur, & quæ in aliis membris Ecclesiæ vacant à culpa, in Clericis habentur illicita, c. 1. 32. dist. & mens clara Concilii fervetur.

11 Compulsio tamen hujusmodi debet esse moderata, & censeo, quod Episcopus debeat uti multa, ubi & postquam suavitas hortationis prius adhibita non profuit, & laudarem, quod ipsemet aliis curis non detentus assisteret, ut facilius, & alacrius Ecclesiasticos suo exemplo ad obediendum ita disponat: Et hæc dicta sint sub correctione ejusdem Sac. Congregationis.

12 A NOBIS, ET SUCCESSORIBUS PRÆFINIENDAM. Episcopus præscribit materiam explicandam à Theologo, Sac. Congreg. Concil. in Urbinaten. 10. Martii 1663. & in Ripana 12. Januarii 1692.

Erectionis Præbendæ
Pœnitentialis.

FORMULA VI.

SUMMARIUM.

- 1 In Cathedrali Ecclesia primo loco erigi debet Præbenda Theologicalis, & postea Pœnitentialis.
- 2 Canonicus Pœnitentiarius non est necesse, quod sit laureatus, sed sufficit, quod sit aptior in loco.
- 3 Canonicus Pœnitentiarius debet assistere in Sede Confessionali diebus Festivis, etiam non vocatus.
- 4 Qui confitetur peccata sua Pœnitentiario, satisfacit præcepto Ecclesiæ contento in cap. Omnis utriusque sexus de pen. & remiss.
- 5 Canonicus Pœnitentiarius tenetur residere in Confessionali de mand. Festis solemnioribus, & quæ sint.
- 6 Canonicus Pœnitentiarius lucratur distributiones, quando actu audit confessiones in Ecclesia.
- 7 Quod privilegium non datur aliis Canonicis, nec Dignitatibus, quamvis cura habitualis esset penes Capitulum.
- 8 Taxa distributionum quomodo, & in qua quantitate sit constituenda.
- 9 Canonici non possunt sibi invicem remittere, & condonare distributiones.
- 10 Distributiones à Canonicis absentibus amissæ inservientibus accrescunt, nec Episcopus potest illas usibus piis applicare.
- 11 Distributiones amissæ à Dignitatibus ob non interessentiam Divinis Officiis cedunt dispositioni Episcopi, quando tertia pars fructuum Præbendarum reperitur separata.
- 12 Canonicis Jubilato non solum debentur distributiones, sed fallentiæ Canonicorum absentium, nisi obstat statutum Ecclesiæ.
- 13 Quæ regula procedit in distributionibus auctis, & in Canonicis, qui Papæ inserviunt cum indulto percipiendi distributiones pro diebus, & horis, quibus actualiter servitio occupantur.
- 14 Canonicus, qui in Cathedrali Curam Animarum exercet, computat distributionem in congruam.
- 15 Canonici licet sint pauci tenentur canere Officium in Choro, alias possunt distributionibus privari.
- 16 Canonico inquisito, & postea absoluto uti non culpabili debentur distributiones totius temporis, quo talem ob causam inservire non potuit, etiam si esset absolutus cum clausula -- Ex hætenus deductis.
- 17 Secus si Canonicus inquisitus, vel alia de causa absens haberet Coadjutorem, nam si iste non inservit, non debentur coadiuto distributiones.
- 18 Vel ante absentiam, seu impedimentum non esset solitus inservire.
- 19 Canonicus dispensatus ab ætate, cum clausula, quod promoveri se faciat postquam ad legitimam ætatem devenerit, amittit distributiones, si conditionem non curavit adimplere.
- 20 Canonici, sive Dignitates Prothonotarii, amittunt distributiones, si intersint Choro cum habitu Prælatitio.
- 21 Canonici non possunt concordare, quod Prothonotarii deferunt habitum Prælatitium in Coro, & acquirant distributiones, soluta cleemosyna Sacrificiæ, & num. 22.
- 22 Canonicus surdus non lucratur distributiones, nisi præstet presentiam in Choro: Secus si sit cæcus, quia hic illas acquirit, quamvis sit absens.
- 23 Canonici licet velint amittere omnes distributiones, adhuc compelli possunt ab Episcopo ad personaliter residendum.
- 24 Distributionum differentia, in quo consistat, & num. 26.
- 25 Canonicus Pœnitentiarius, si non resideat, servanda est contra eum dispositio Sac. Concilii sess. 24. cap. 12. de reform.
- 26 Canonicus Pœnitentiarius eo ipso, quod est institutus, habet à jure facultatem audiendi confessiones.
- 27 Non potest à casibus Episcopo reservatis absolvi, nisi illi detur specialis facultas.

N. Epi-

N. Episcopus N.

CUM in hac nostra Cathedrali Ecclesia N. erecta adhuc non fuerit Præbenda Pœnitentialis, Nos Sanctissimi D. N. CLEMENTIS XI. iussibus in litteris Apostolicis nostræ promotionis ad Episcopatum factis, & Decretis Sac. Concil. Trid. obedire volentes: Hinc est, quod vacante Canonicatu nostræ Cathedralis, quem dum viveret obtinebat N. illius ultimus possessor, qui extra Romanam Curiam de mense N. diem suum clausit extremum, Canonicatum prædictum modò vacantem, & cuius collatio, & provisio ad Nos spectat, in præfatam Præbendam Pœnitentialem vigore Decreti Concilii Trid. cap. 8. de Reform. sess. 24. erigimus, & instituimus pro uno Canonico J. U. D. aut in Sac. Theologia, vel iure Canonico Licentiato, aut alias aptiori, ætatis (si fieri potest) quadraginta annorum, quique in posterum futuris perpetuis temporibus Canonicus Pœnitentiarius nuncupetur, cum onere confessiones fidelium nostræ jurisdictioni subiectorum ad Cathedrali Ecclesiam confluentium, præsertim diebus Festis solemnioribus sacramentaliter audiendi, & tempore, quo frequentius accedunt in Sede Confessionali à Nobis destinata, Pœnitentes absolvendi, & horis opportunis confiteri volentibus sui copiam faciendi, cum indultis, & gratiis in lucrandis fructibus, & distributionibus dictæ Præbendæ, dum confessiones audit, ab eodem Sacro Concilio, & Decretis Sacræ Congregationis concessis, ac aliis facultatibus opportunis; Et ita auctoritate ordinaria, ac Apostolica delegata, & omni alio meliori iure quo possumus, & debemus, erigimus, & instituimus. Datum &c.

N. Episcopus N.

LECTUM, LATUM, & PUBLICATUM fuit supradictum Decretum erectionis Præbende Pœnitentialis in Aula N. die... presentibus N. N. ad id specialiter adhibitis, & vocatis &c.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

1. **RECTA.** Non potest Episcopus primam Præbendam vacantem assignare pro Pœnitentiario, quamvis in loco videretur magis necessarius, sed prius debet erigi Theologalis, quatenus non reperiatur erecta, vel confirmationem Apostolicam expostulare Gallemart. supra Conc. c. 8. sess. 24. de refor. n. 12.

2. **AUT ALIAS APTIORI ÆTATIS QUADRAGINTA ANNORUM.** Pro validitate collationis hujus Præbendæ non est necesse, quod provisor sit Doctor, vel Theologus, sed sufficit, quod in loco sit aptior, quando Doctores, & Li-

centia in iure Canonico, vel Theologia apti non inveniuntur, & idem procedit quò ad ætatem 40. annorum, ut probant Garz. de Benef. part. 7. cap. 4. num. 32. & Barbof. supra Concil. dicto cap. 8. num. 16. 17. & 18.

3. **CUM ONERE.** Onus Pœnitentiarii est in Sede Confessionali ab Episcopo destinata assistere, præsertim diebus Festis solemnioribus, etiam non vocatus: Alias poterit præcepto penali cogi, & contumacia illius perdurante Præbenda quoque privari, Nicol. lucubr. Canon. l. 5. tit. 38. de pœn. & remiss. n. 14. Sac. Congr. Concil. in Verulana, quam pro se allegat Chrispin. de visit. part. 2. §. 24. n. 1.

SUB-

4. **SUBJECTORUM**. Quilibet Dilectissimus potest Pœnitentiario confiteri peccata sua tempore Paschatis, & satisfacit præcepto Ecclesiæ contento in cap. *Omnis utriusque sexus extra de pœnit. & remis. Sac. Congreg. apud Gallemart. supr. Concil. dicto cap. 8. sess. 24. circa fin.*

5. **FESTIS SOLEMNIORIBUS**. Videlicet tempore jejuniorum, Quadragesimæ, Aventus, Quatuor Temporum, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis B. Mariæ Virgini, Omnium Sanctorum, & Nativitatis Domini, ut habetur decisum in *Sagobien. quam per extensum refert Chrispin. loco citato num. 2. & concordat Garz. de Benef. par. 5. cap. 4. n. 122. Barbof. supra dicto cap. 8. nu. 33. Gallemart. num. 10.*

6. **ET DISTRIBUTIONIBUS**. Privilegium Pœnitentiarii est distributiones lucrari quando actu audit in Ecclesia Confessiones pœnitentium, Garz. de Benef. part. 3. capit. 2. num. 335. Barbof. supra Concil. sess. 24. de Reform. cap. 12. & de Offic. & Potest. Episc. alleg. 33. nu. 127. Rot. coram Ottob. decis. 58. Sac. Congregat. Concil. in Theatina 18. Aprilis 1643. quam refert Pignatell. consult. 13. num. 2. & 3. tom. 7.

7. Quod privilegium non datur aliis Canonici, & Dignitatibus, quamvis Cura habitualis Ecclesiæ esset penes Capitulum: Nam hi si tempore servitii Chori audiant Confessiones, amittunt distributiones, sic respondit *Sac. Congr. Concil. in Romana Servitii Chori 23. Septembris 1690. contra Archipresbyterum, & Canonicos Collegiæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Cosmedin.*

8. Et hinc desumpta occasione de distributionibus loquendi, hæc pauca, quæ sequuntur, nota. Primò, quod Taxa pro distributionibus constituendis, debet esse in tertia parte fructuum Præbendarum ad formam præscriptam à *Concilio cap. 3. sess. 21. de Reform. Sac. Congreg. Concilii in Albanen. 9. Decembris 1690.* quæ tertia pars, si non adest aliud assignamentum, neque alia dos pro distributionibus, debet effectivè separari, & deponi, ut eadem *Congreg. respondit in Aquipendii 29.*

Novembris 1692. & in Civitatis Castellane 5. Maii 1696.

9. Secundò, quod distributiones debent dividi, & lucrari ad præscriptum ejusdem cap. 3. non obstante statuto, consuetudine, aut pactione contraria Canonorum, qui illas sibi invicem remittere, cedere, nec condonare non possunt, *Sac. Congreg. Concilii in Giennen. 24. Aprilis, & in Avenionen. 25. Septemb. 1700.*

10. Tertio, quod distributione à Canonici absentibus amissæ, infervientibus accrescunt, adout ab Episcopo non possint applicari fabricæ, Sacristiæ, aliisve usibus, ut in dicto cap. 3. statuitur, & sæpè declaravit *Sac. Congreg. Concil. ac nuper in S. Severini 16. Julii 1695. & in Cathacen. 18. Julii 1699. Nicol. in fosc. verb. distributiones num. 6.*

11. Quarto, quod distributiones amissæ à Dignitatibus, & Personatibus ob non interessentiam Divinis Officiis, cedunt arbitrio, & dispositioni Episcopi, nec cum aliis Canonorum distributionibus commisceri valent, Barbof. in dicto cap. 3. sess. 22. de Reform. num. 5. *Sac. Congr. Concilii in Cephaluden. 6. Martii 1694.* Dummodo tamen tertia pars fructuum earumdem Præbendarum reperiat pro distributionibus separata, aliàs secus, ut observat, & distinguit *Nicol. in fosc. verb. distributiones n. 6.* Tunc enim juxta Sententiam Garz. de Benefic. par. 3. cap. 2. num. 465. portiones Dignitatum, & Personatum absentium arbitrio Episcopi applicantur fabricæ, aut alteri loco pio, quando pro fallentiis detracta effectivè reperitur tertia pars fructuum, prout verificabatur in dicta *Cephaluden.*

12. Quintò, quod Canonico Jubilato vigore Indulti debentur distributiones, & fallentiæ Canonorum absentium, etiam si Choro non intersit, quatenus ei non obstet statutum, vel consuetudo contraria Ecclesiæ, sic censuit *Sac. Congreg. Concil. in Romana 19. Aprilis 1692. & in Aquipendii 23. Martii 1697. & est contra Fagnan. in cap. cum percussio num. 28. & seq. de Cler. ægrot.*

13. Quæ conclusio vera est, etiam si distributiones essent auctæ post obtentam jubilationem, ut eadem *Sac. Congr. bis declarata-*

claravit in Bononien. 16. Junii 1696. & 20. Aprilis 1697. in qua augmentum proveniebat ex legato condicionali, quod distributiones dari deberent tantummodo inservientibus. Et extenditur quoque ad Canonicos, qui Papæ, vel Cardinalibus inserviunt cum indulto percipiendi distributiones pro diebus, & horis quibus actualiter in servitio occupantur, nam hi gaudent fallentis absentium, ut respondit Sac. Congr. Concil. in Romana punctatura 27. Januarii 1691.

14. Sexto, quod Canonicus, qui in Ecclesia Cathedrali Curam Animarum exerceat, computat distributiones in congruam; Sac. Congr. Concil. in Accernen. 14. Novembr. 1693. ad tertium, & Ifernien. 20. Aprilis 1697.

15. Septimo, quod Canonici quamvis pauci sint, puta duo, vel tres, tenentur canere officium in Choro, aliàs possunt ab Ordinario distributionibus punctatura privari, ita censuit Sac. Congreg. Concil. in Nullius Orbetelli 31. Martii 1696.

16. Octavo, quod Canonico inquisito, & postea absoluto uti non culpabili, etiam cum clausula ex hæcenus deductis, debentur quotidianæ distributiones totius temporis, quo talem ob causam Ecclesiæ inservire non valuit Gonzal. ad regul. 8. Cancell. glos. 5. §. 9. num. 122. Barbof. de Canon. & Dignit. cap. 24. num. 41. & 42. Sac. Congr. Concil. in Arianen. 28. Aprilis 1635. & Sac. Congreg. Episc. in Lucerina 17. Augusti 1696. referente Eminentissimo Card. de Abdua.

17. At si inquisitus haberet Coadjutorem, qui de tempore Carcerationis, seu contumaciæ coadjutor inservire debuisset, & non inservit, tunc distributiones non deberentur, ut censuit Sac. Congr. Concil. in Brixien. 2. Junii 1696. in qua licet Coadjutorem reperiretur absens causa studii, adhuc talis excusatio non fuit admissa: Quia hic tenetur inservire durantibus coadjutis impedimentis, cum coadjutoriæ cum futura successione dentur in præmium servitii, & ideo fuit rescriptum -- Distributiones non deberi Canonico Nigrono reservatis juribus contra Coadjutorem, prout de jure.

18. Nonò, quod ad effectum recupe-

randi distributiones amissas tempore absentiae causatæ ex justa causa, & impedimento, debet probari aliud extremum, nempe, quod Canonicus absens esset solitus inservire ante impedimentum, aliàs etiam si in casu inquisitionis plenariè fuisset absolutus, distributiones non recuperet, ut de communi tradunt Monet. de distrib. part. 2. q. 5. num. 21. Fagnan. in cap. De cætero num. 26. de Cler. non resid.

19. Decimo, quod Canonicus dispensatus super ætate ad obtinendum Canonicatum, si promoveri non curavit ad Ordines postquam ad legitimam ætatem pervenit, juxta formam in dispensatione præscriptam, distributiones non acquirat, quamvis Choro inserviat, ut declarat Sac. Congr. Concil. in Florentina 12. Januarii 1697.

20. Undecimo, quod Canonici, sive Dignitates Prothonotarii, si Choro intersint cum habitu Prothonotarii, distributiones juxta Decreta Sac. Congreg. Rituum in Asculana Apuliæ 16. Martii 1610. & 19. Novembris 1611. quæ refert Pignatell. consult. 76. num. 1. & 2. tom. 4. non percipiunt, immò nec fructus Præbendæ, ut ibi declaratur. Et nuper quoad distributiones iterum decisum fuit in Spoletana contra Priorem Collegiatae S. Michaelis Terræ Bevanie 9. Julii 1695. qui cum parere Decreto recusaret, & Indultum saltem habitum prædictum in Choro deferre posse postularet, Causa reposita 17. Decembris ejusdem anni, responsum fuit -- Distributiones restituendas esse à die Decreti, & Indultum non esse concedendum.

21. Et cum post dictam resolutionem Canonici cum Priore concordassent, quod possent d. habitu uti in functionibus Ecclesiasticis, solutis tamen annuatim Sacristiæ scutis quindecim loco amissionis distributionum, & concordia approbationem ab eadem Congregatione postulassent, sub die 5. Julii 1698. referente clar. mem. Card. Petruccio prodiit resolutio -- Non esse locum approbationi concordia.

22. Et merito ita decisum fuit; quia Dignitates, & Canonici accedentes sine habitu Canonicali servitio Chori, faciunt

ciunt se extraneos, & incapaces lucrandi distributiones: Unde consensus Capituli non potest illos capaces reddere contra rubricas Ecclesiæ, & Decreta Sac. Congregationis.

23. Duodecimò, quod Canonicus, qui surdus evasit, ut acquirat distributiones, præsentiam in Choro præstare debet, ut censuit *Sacr. Congregat. Episc. in Theanen. 12. Martii 1619.* Secus si evaderet cæcus, quia hic distributiones acquirat, quamvis non interfit, cum iste connumeretur inter miserabiles personas, quamvis dives sit, ut plenè probat *Fagnan. hanc miseriam passus in cap. Licet num. 143. & 144. de Præbend. & cap. cum percusso num. 26. de Cler. egrot. & in cap. Significantibus num. 50. de Offic. deleg.*

24. Decimotertiò, quod Dignitates, & Canonici, non obstante, quod velint amittere tertiam partem fructuum Præbendarum pro distributionibus applicatam, adhuc ab Episcopo compelli possunt ad residendum personaliter, ut declarat *Sac. Congr. Concil. suprâ cap. 3. sess. 21.* prout refert ibidem *Gallebart. Decretum autem ex libris Secretariæ excerptum sic loquitur -- Congregatio censuit Dignitates in Cathedralibus, & Collegiatis posse compelli ad residendum personaliter penitus præfixis Decr. Concil. sess. 24. cap. 12. §. Præterea, non obstante, quod velint amittere tertiam partem fructuum pro distributionibus quotidianis applicatam.*

25. Decimoquartò, in materia distributionum notanda est differentia inter *cap. 3. sess. 22. & aliud cap. 3. sess. 21. de Reform.* in quorum intelligentia nonnulli falluntur, & hæc est: Quod illud loquitur de Dignitatibus, à quarum Præbendis Ordinarii tertiam partem fructuum in distributiones quotidianas convertendam separare possunt, dato etiam quod distributiones quotidianæ non sint tentes, & id in odium obtinentium Dignitates, & negligentium residere, & quando ista tertia pars ita subtracta per non inservientes amittitur, locis piis est applicanda.

26. At verò *cap. 3. sess. 21.* loquitur solum quando distributiones ita sunt tentes, ut negligantur, & hoc casu ter-

tia fructuum Præbendarum pars ita separata, & in distributione ab Ordinario conversa, si per non inservientes amittitur, proportionabiliter inservientibus accrescit, non obstante contraria consuetudine.

27. Decimosextò, quod, si Canonicus Pœnitentiarius non faciat residentiam, & Episcopus velit procedere contra eum ad privationem Canoniciatus, tenetur servare regulam præscriptam à *Sac. Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. de Reform.* ut respondit *Sac. Congr. Conc. Episcopo Curien. qui cum supplicasset declarari -- An absente Canonico Pœnitentiario ultra tres menses, & per alium inservire faciente quoad munus Pœnitentiarum, contra eum servanda sit regula præscripta à Sac. Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. de Reform. super privatione Canoniciatus Ecclesiæ Cathedralis, vel potius sit diversimodè procedendum? Die 7. Decembris 1697. Sac. Congr. Concil. censuit Canonicum Pœnitentiarium esse comprehensum sub dispositione Concilii.*

28. **AC A L I I S FACULTATIBUS.** Pœnitentiarius eo ipso, quod est institutus, habet à jure facultatem audiendi confessiones pœnitentium, & jurisdictionem recipiendi à peccatis, ac si esset Parochus in hac parte totius Diœcesis, absque ulla alia licentia Ordinarii, prout docent *Barbof. in dicto cap. 8. sess. 24. num. 21. & Corrad. prax. Benef. libr. 2. cap. 4. num. 106.* alique ab eis allegati.

29. Non tamen potest à casibus Episcopo reservatis absolvere, nisi illi detur specialis facultas, ut pluries *Sac. Congreg. declaravit, cujus Decreta referunt Piafec. prax. Episc. part. 2. cap. 1. art. 3. de casib. Episc. reserv. num. 16. Nicol. lucubr. Can. lib. 5. tit. 38. de penit. & remiss. num. 13. Gallebart. in dicto cap. 8. sess. 24. num. 9. & 10. Crispin. de visit. part. 2. §. 24. num. 4.*

Unionis Ecclesiae Parochialis alteri simili
propter illarum paupertatem.

FORMULA VII.

SUMMARIUM.

1 Unio Beneficiorum requirit justam cau-
sam, de qua debet in actis con-

fiare.

2 In unione faciendâ, an requiratur

Capituli consensus?

3 Qui alii sint vocandi?

N. Episcopus N.

Universis salutem in Domino. Ut Ecclesiarum Parochialium nostrae Dice-
cesis, ubi Sacra ministrantur, Cultus resplendeat, ac illas obtinentium
personae Animarum Curae incumbentes habeant redditus sufficientes, ut de Al-
tari vivere possint, libenter nostri officii impartimur praesidium. Cum igitur
nuper per dilectum in Christo N. Rectorem Ecclesiae Parochialis S. A. loci N. hu-
jus Diocesis Nobis fuerit expositum, quod in dicto loco alia Parochialis Eccle-
sia sub invocatione S. B. existit, cujus fructus, & proventus ad sustentationem
Rectoris ejusdem pro tempore existentis propter illorum exiguitatem minimè
suppetunt, & quod si d. Parochialis Ecclesia B. dictae Ecclesiae similiter Parochia-
li A. quae in commodiori situ est posita, uniretur, annecteretur, & incorporā-
retur, congrua, quam non habet, sufficiens constitueretur Rectori; in eaque
Divina officia majori cum decore celebrarentur, Cultusque Divinus augetur;
& proinde humiliter supplicatum fuit, ut super praemissis providere dignemur:
& cum per legitimam, & diligentem informationem per nos captam, & *examen*
Testium fide dignorum invenerimus singula per eum asserta, & exposita veritate
fulciri: Idcirco auctoritate nostra ordinaria, & Sedis Apostolicae delegata per
Sac. Conc. Trid. sess. 21. c. 5. de Reform. & omni alio meliori modo, quo possumus,
Parochialem Ecclesiam S. B. praedictam cum omnibus juribus, & pertinentiis
suis eidem Parochiali Ecclesiae A. *accedente consensu nostri Capituli* pro Divini
Cultus augmento, & salubri regimine Curae in perpetuum unimus, annecti-
mus, & per praesentes incorporamus, Ita quod cedente, vel decedente moder-
no ipsius Parochialis B. Rectore, seu illam quomodolibet dimittente, & quovis
modo vacet, & ejus provisio, & dispositio ad Nos pertineat, liceat Rectori dictae Ec-
clesiae A. pro tempore existenti, corporalem, realem, & actualem Ecclesiae B. ju-
riumque, & pertinentiarum possessionem auctoritate propria liberè apprehende-
re, illiusque fructus, & proventus percipere, ac in suos, & dictarum Ecclesiarum
sic unitarum usus, & utilitatem convertere, & perpetuò retinere, cujusvis alterius
Superioris licentia super hoc minimè requisita. Volumus autem, quod postquam
unio effectum sortita fuerit, Parochialis Ecclesia B. non fraudetur debitis obse-
quis, nec Animarum Cura in ea negligatur, sed ejus supportentur onera. *Que omnia,*
& singula vobis omnibus supradictis *notificamus.* In quorum &c.

N. Episcopus N.

Letum, latum, & publicatum fuit supradictum Decretum unionis Ecclesiae B.
cum Ecclesia A. etiam per affixionem ad valvas earundem Ecclesiarum, ut con-
stat ex relatione Bajuli, die... in Aula &c. praesentibus N. N. Testibus &c.

N. Cancellarius Episcopalis.

A D-

ADNOTATIONES.

1 ET EXAMEN TESTIUM. Unio ad hoc, ut sustineatur, requirit justam causam, de qua debet formiter in actis constare per examen Testium; quia sola Episcopi assertio non sufficit, Pac. Jord. *lucubr. tom. 2. lib. 10. tit. 32. num. 64.* Corrad. *prax. Benef. lib. 2. cap. 5. n. 26. & cap. 15. num. 76.*

2 ACCEDENTE CONSENSU NOSTRI CAPITULI. Quod in unionibus ab Ordinario faciendis requiratur consensus Capituli, tenent Garz. *de Benefic. part. 12. cap. 2. à num. 1. ad 168.* Pac. Jord. *lucubr. tom. 2. lib. 10. tit. 32. num. 69.* Ricc. *decis. Cur. Archiepisc. Neapol. part. 4. decis. 198. num. 15.* Fagnan. *in cap. Ad audientiam num. 54. de Eccles. edific.* Alii verò putant, quod Capituli consensus non sit necessarius, ex quo Episcopi in hac parte uniones faciunt vigore Concilii tamquam Sedi Apostolicæ Delegati, nempe Navarr. *cons. 10. de Offic. & Potest. Judic. Delegat.* Ricc. *prax. For. Ecclesiast. part. 1. resol. 388. num. 4. vers. Limita secundo,* Gallemart. *in cap. 5. sess. 21. de Reform.* Tu autem sequere primam opinionem, quia per ra-

tiones, quas expendunt DD. hanc tenentes, magis tuta videtur.

3 NOTIFICAMUS. Quamvis in hac specie unionis citandi sint interesse habentes, non tamen necessariò vocandi sunt Parochiani, Pac. Jord. *loco cit. num. 94.* Barbol. *in dist. cap. 5. n. 8.* Neque vocandus est Rector Ecclesiæ unitæ, cui durante illius vita non inferatur præjudicium, sed tantùm notificanda erit illi unio, nè ignorantiam valeat allegare, ut advertunt Ricc. *prax. For. Eccles. part. 1. resol. 392. num. 1. & 2.* Corrad. *prax. Benef. lib. 2. cap. 15. num. 85.*

Unionis Beneficii simplicis Parochiali exigui redditus.

FORMULA VIII.

SUMMARIUM.

- 1 Unio Beneficiorum simplicium viventium potest fieri sine illorum præjudicio.
- 2 Non tamen si possideantur à familiaribus Cardinalium, vel ab aliis, per quorum obitum certum sit ea affecta fore.

N. Episcopus N.

CUM in visitatione Ecclesiæ Parochialis N. nostræ Dicecesis per Nos nuper habita invenerimus illam adeò exiguos redditus habere, ut ex eis Parochus pro tempore minimè sustentari valeat, ut ex Actis visitationis apparet. Volentes propterea in quantum possumus fructus dictæ Ecclesiæ augere, ad hoc, ut Parochus juxta præscriptum Sac. Canonum congrue sustentetur, & Divinus Cultus debitis obsequiis non fraudetur, nec deferatur: Ideò tam nostra ordinaria, quàm delegata Sacri Concilii Tridentini auctoritate, & omni alio meliori modo, eidem Parochiali N. unimus, annectimus, applicamus, & incorporamus Beneficium simplex S. N. erectum in Ecclesia S. N. cum suis juribus, & pertinentiis, quod nunc, & ad presens possidetur à N. sine tamen præjudicio dicti Possessoris, & sine Divini Cultus diminutione: Ità quod cedente, vel decedente illius moderno Rectore, seu illud quomodolibet dimittente, sive quovis modo vacet, liceat Rectori dictæ Parochialis pro tempore existenti corporalem, realem, & actualem possessionem dicti Beneficii simplicis liberè apprehendere, illiusque fructus, & proventus percipere, & in suos, & dictæ Parochialis usus, & utili-

litatem convertere, & perpetuò retinere, cujusvis alterius Superioris licentia minimè requisita. In quorum &c.

N. Episcopus N.

LECTUM, LECTUM, & publicatum fuit supradictum Decretum unionis Beneficii simplicis S. N. Ecclesie Parochialis N. die... in Aula &c. presentibus N. N. Testibus ad id specialiter adhibitis &c.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

1. **Q**UOD NUNC, ET AD PRÆSENS POSSIDETUR. Beneficia simplicia viventium, quod possint uniri sine præjudicio illa obtinentium, docet Barbof. *suprà Concil. cap. 15. sess. 24. de Reform. num. 14.*
2. Si tamen possiderentur à familiaribus Cardinalium, aut ab aliis personis similibus, per quarum obitum quocumque mense decedant, certum si ea fore affecta Sedi Apostolicæ, uniri non possent, obstante Decreto Clementis VIII. ab Urbano VIII. confirmato, ut advertit Fagnan. *in cap. Sicut unire num. 37. de excess. prelat. de quo latius infra in sequenti formula dicitur.*

Unionis Beneficiorum simplicium Seminario.

FORMULA IX.

SUMMARIUM.

- 1 Unio Beneficiorum favore Seminarii est remedium subsidiarium.
- 2 Unio Beneficiorum favore Seminarii debet fieri consilio quatuor Deputatorum.
- 3 Qui debet cum consilio alicujus agere, consilium requirit, sed non sequitur, secus si de consilio.
- 4 Beneficia, quæ possidentur à familiaribus Cardinalium, & ab aliis, per quorum obitum certum fit remanere affecta uniri non possunt Seminario.
- 5 Unionis Decretum debet fieri coram testibus.

N. Episcopus N.

ANimadvertentes annuos redditus, & proventus hætenus per Antecessores nostros Episcopos, Seminario Ecclesiastico hujus Civitatis assignatos pro sustentatione Alumnorum, Rectoris, Magistrorum, & aliorum Ministrorum cum Taxa Beneficiorum, minimè sufficere, & ob eorundem reddituum tenuitatem, & diminutionem secutam, Seminarium prædictum ferè destitutum existere. Proindè vacantibus ad præsens duo perpetua simplicia Beneficia Ecclesiastica nullibi personalem residentiam requirentia, nec affecta, sub invocationibus videlicet Sanctorum N. N. in Ecclesia N. hujus Civitatis (seu Diocesis cum consilio RR. DD. NN. præfati Seminarii quatuor Deputatorum presentium, & nobiscum convenientium, præmissorum intuitu illa per obitum illorum ultimorum possessorum extra Romanam Curiam nunc vacantia: Necnon alia duo similia Beneficia Ecclesiastica, nempe Sanctorum N. & N. in Ecclesia N. loci N. erecta, quæ ad præsens N. & N. obtinent, per eorundem cessum, vel decessum, aut

aut aliàs quocumque alio modo vacabunt, etiam si ultimò dicta duo Beneficia ad præsens non reservata, neque affecta tempore illorum vacationis fuerint Sedi Apostolicæ reservata juxta formam ejusdem Sac. Concil. Trid. ex nunc pro tunc cum illorum vacationis casus occurreret, dictorum Beneficiorum omnium fructus, redditus, & proventus, cum omnibus juribus, & actionibus suis, eidem Collegio, seu Seminario auctoritate ejusdem Concilii, ac etiam nostra ordinaria, ac aliàs omni &c. unimus, annectimus, incorporamus, & applicamus, sine tamen, quo ad duo ultima Beneficia, illa obtinentium præjudicio. Itaut tam Beneficiorum nunc vacantium, quam aliorum duorum vacaturorum postquam vacaverint, possessionem corporalem, realem, & actualem, necnon fructus, redditus, & proventus iidem Deputati per se ipsos, vel per alios vigore præsentis Decreti capere, percipere, & apprehendere nomine Collegii possint, & valeant; ac virtute unionis, annexionis, incorporationis, applicationis prædictæ, eorundem Beneficiorum fructus in utilitatem, & necessitates Seminarii absque alia licentia, vel Decreto convertere liberè & licitè possint. Et ita decernimus, unimus, & incorporamus omni meliori modo. Datum &c.

N. Episcopus. N.

Supradictum Decretum unionis lectum, latum, & publicatum fuit in mansionibus Episcopalis palatii N. per Illustrissimum, & Reverendissimum D.N. Episcopum die ... cum consilio, & præsentia præfatorum RR. DD. N. & N. quatuor Seminarii Deputatorum, ibidem præsentibus N. & N. Testibus ad omnia in dicto Decreto contenta adhibitis, atque rogatis.

Ita est Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

1. CUM TAXA BENEFICIORUM.

Unio Beneficiorum est remedium subsidiarium, & ideo, ut validè fieri possit, debet concurrere necessitas Seminarii jam formaliter erecti, & præcedens detractio fructuum de mensa Episcopali, & aliorum Beneficiorum, ut firmant pluribus Rotæ decisionibus relatis Lotter. *de re Benef. lib. 1. quæst. 29. nu. 60. & 61. Corrad. prax. Benef. lib. 4. quæst. 8. nu. 11. Ventrig. prax. par. 2. annot. 29. §. unico num. 42.*

2. CUM CONSILIO. Item, ut unio, quæ per Episcopum fit Seminario vigore Concilii sustineatur, debet fieri cum consilio, & præsentia quatuor Deputatorum, licet illud sequi non teneatur, ut communiter tradunt Garz. *de Benef. part. 12. cap. 2. n. 190. & 191. Leo Thesaur. For. Eccles. par. 2. cap. 16. nu. 25. Ricc. prax. For. Eccles. par. 3. resol. 422. nu. 1. & 2. Barbof. de Offic. & Potest. Episc. alleg. 77. nu. 32. Montacelli Form. Pars I.*

3. Corrad. *prax. Benef. lib. 4. cap. 8. n. 24. & seqq.*

3. Et hinc nota, quod, qui cum consilio alicujus agere debet, actum gerit validè, si consilium requirat, & non sequatur: Qui verò de consilio aliorum judicare, vel actum facere compellitur, non tantum requirere, sed consilium sequi tenetur, Barbof. *tract. variar. diction. 76. n. 14. ibi -- Si statutum dicat, quod Prætor factat de consilio, tenetur sequi consilium, si verò dicat cum consilio, non ita præcisè ardetur ad consilium sequendum, ita Cornel. consil. 53. lib. 1. Tondut. quæst. Benefic. tom. 1. capit. 103. numer. 5. ibi -- Quoties quis debet judicare, vel actum facere de consilio alicujus, qui cum eo particeps officii, illius volunt, non solum requirere, sed etiam sequi, & secundum illud judicare tenetur &c.*

4. NECNON ALIA DVO SIMILIA. Quamvis Episcopis à Concil. Trid. in cap. 18. sess. 23. de refor. amplissima tributa legatur facultas uniendi

E Bene-

Beneficia simplicia Seminario, etiam si reservata sint, & affecta, nec per resignationes illorum, uniones suspendi possunt: Nihilominus post Decretum Clem. VIII. hac de re editum, hujusmodi facultas quod Beneficia, quæ obtinent personæ, quæ ob familiaritatem Cardinalium, vel alias tales sint, ut quocumque mense decedant certum sit ea fore affecta Sedi Apostolicæ, sublata est, adeo ut hodie hujusmodi Beneficia non possunt amplius per eos uniri, ut distinguendo tempora firmat Fagnan. in cap. Sicut unire nu. 37. de excess. prælat. ubi per extensum refert Decretum Urbani VIII. quo aliud Glementis confirmatur, & nuper declaravit Sac. Congr. Concil. in Policastren. Unionis 7. Junii 1692. Propterea que dicitur in formula -- Etiam si ultimò dicta duo Beneficia ad præsens non reservata, neque affecta tempore illorum vacationis &c.

5 PRÆSENTIBUS N. N. TESTIBUS.

Testes in Decreto unionis debent adhiberi ad excludendam suspicionem fraudis, & antedatæ, de quibus in Dataria Apostolica non semel dubitari solet, ut monet Corrad. prax. Benefic. lib. 4. dicto cap. 8. num. 20. Ideoque Cancellarius Episcopi ad cautelam majorem advertere debet, quòd Testes quos ipse ad hunc actum adhibet non sint de Domo, nec de familia Episcopi, Lotter. de re Benef. lib. 2. q. 23. num. 10.

Collationis Ecclesiæ Parochialis de Jurèpatronatus.

FORMULA X.

SUMMARIUM.

- 1 Episcopus, si jure devolutò conferat Parochialem Jurèpatronatus, tenetur conferre per concursum.
- 2 Inter plures presentatos ad Ecclesiam Parochialem quis præferatur? & n. 3.
- 4 Quid, si presentatus non esset Sacerdos, & esset approbatus sub spectura idoneitatis? & n. 5.
- 6 Quid inter presentatos ad Beneficia non Curata, & num. 7. & 8.
- 9 Clerici conjugati non solum ad Beneficia, sed neque ad Cappellanas manuales nominari, nec presentari possunt, etiam si sint vocati de familia.
- 10 Presentatus ad Beneficium Parochiale non potest institui, nisi examinatus ab Examinatoribus Synodalibus.
- 11 Ad Beneficium Parochiale potest presentari, qui jam obtinet aliud Beneficium Curatum.
- 12 Presentatio, & resignatio potest fieri per Procuratorem Laicum.
- 13 Beneficia, quæ debent conferri certo generi personarum, si conferantur ab Episcopo jure devolutò, tenentur legem foundationis servare.
- 14 Executor Testamentarius, hæres, & Episcopus non possunt in erectione Beneficii injungere onera, quæ Testator non injunxit.
- 15 Presentatus ad Beneficium Parochiale, si non instituat in termino à jure præfixo, proviso devolvitur ad Papam, vel Metropolitanum.

N. Episcopus. N.

Dilecto N.

U Niversis, & singulis has presentes nostras litteras inspecturis, visuris & audituris notum facimus, atque testamur, quòd vacante Parochiali Ecclesia S.N. loci N. hujus nostræ Diocesis per obitum N. illius, dum viveret ultimi, & immediati Possessoris, quæ de Jurèpatronatus infra scripti Patroni Laici existit, comparuisti coram Nobis in nostra Curia N. asserens Te fuisse presentatum à Patro-

Patrono dictæ Parochiæ, & Juspatronatus in ea habente, & existente in pacifica possessione, seu quasi præsentandi Rectorem toties quoties casus vacationis occurrerit, petens à Nobis ordinario jure institui, & confirmari in Rectorem dictæ Parochialis, cum ejus honoribus, & oneribus solitis, & consuetis, & volentes in præmissis mature procedere, generale Edictum ad tui instantiam expediri, & ad valvas Ecclesiæ nostræ Cathedralis, & dictæ Parochialis affigi, legi, & dimitti jussimus, per quod citari, & moneri fecimus omnes, & singulas personas sua quomodolibet interesse putantes, quatenus infra certum terminum competentem in eodem Edicto præfixum comparere debuissent coram nobis, & in dicta nostra Curia ad opponendum, & allegandum quidquid voluissent tam contra personam tuam præsentatam, quam præsentantem: Quare dicta institutio fieri non debuisset. Quo Edicto affixo, & postmodum elevato, accusatifque contumaciis, cum nihil esset oppositum, & quia ex juribus productis in nostra Curia clarè constat de vacatione, & præsentatione *tempore habili facta*, & quòd N. præsentans fuit, & est verus ejusdem Parochialis Patronus, & existere in pacifica possessione, seu quasi Jurispatronatus, & præsentandi Rectorem: Idcirco Te R. N. præsentatum per Examinatores in Synodo Diocesana deputatos examinatum, & approbatum, tamquam habilem, idoneum, & sufficientem instituendum, & confirmandum duximus, prout tenore præsentium institutum, & confirmamus, de illaque coram Nobis flexis genibus humiliter constitutum, & acceptantem per Bireti capiti tuo impositionem, investivimus, & investimus.

Quo circa omnibus Notariis publicis, & personis Ecclesiasticis Civitatis, & Diocesis nostræ per præsentem mandamus, & committimus, ut cum pro parte tua fuerint requisiti, vel eorum aliquis requisitus (emissa per Te prius coram Vicario nostro Generali Professione fidei) ad ipsam Parochialem Ecclesiam dicti loci N. accedant, Teque, vel Procuratorem tuum in corporalem, realem, & actualem possessionem prædictæ Parochialis Ecclesiæ, ac omnium illi annexorum, & pertinentium inducant auctoritate nostra, & inductum defendant, amoto exinde quolibet illicito detentore, quem Nos harum serie amovemus, & denunciamus amotum, ac de fructibus, redditibus, proventibus, & obventionibus universis, Tibi faciant debito tempore responderi. *Si contingat eum, cui de Beneficio providetur, aliud incompatible obtinere, tunc additur.*) Volumus autem, ac præsentium tenore declaramus per hujusmodi Parochialis pacificam possessionem, alteram Parochialem Ecclesiam loci N. (vel Præbendam Canonicalem) quam obtines, eo ipso vacare. In quorum, &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

ADNOTATIONES.

1. **TEMPORIS HABILIFACTA.** Quoties Patroni Laici non præsentassent tempore habili Rectorem, collatio esset Episcopo devoluta, qui tali casu teneretur per concursum conferre, Barb. in Sum. dec. Apostol. verb. Parochialis collect. 532. n. 14.

2. **PRÆSENTATUM.** Si non tantum

N. Cancellarius Episcopalis. unum, sed duos, vel plures Patronus præsentaret, tunc fieret examen inter ipsos præsentatos per concursum, ut eligatur magis idoneus. Quod intellige quando singuli præsentati habeant æquales voces: Nam si plures essent Patroni, & alter ex præsentatis haberet plures voces, iste solus esset examinandus, & quatenus idoneus

E 2 reper-

reperitus esset instituendus, Tondut. *quest. Benef. tom. 1. par. 2. §. 10. Ventrigl. prax. p. 2. annot. §. nam. 13. Adden. ad Gregor. dec. 294. num. 4.*

3. Si verò ille, qui habet majorem partem vocum, inhabilis renunciatur, tunc præsentatus à minori parte, si idoneus declaretur, præfertur, ut tradit Corrad. *prax. Benef. part. 3. cap. 3. n. 5. vers. Circa verò* Undè quando casus iste contingat, formula erit varianda.

4. At si præsentatus non esset Presbyter, sed Clericus ordinum minorum, vel Subdiaconus, approbatus remaneret sub spe futuræ idoneitatis; non per hoc censeretur approbatus ad cæteros ordines sacros, sed indigeret pro his novo examine, ut declaravit *Sac. Congr. Concil. in Marsicana Ordinationis 26. Novembris 1695.* in qua quidam Clericus Petrus de Rubeis præsentatus ad Parochialem vacantem Villæ Sabinesis Jurispatronatus Laicorum fuit ab Examinatoribus Synodalibus (sub spe sibi parandæ studio formali idoneitatis) habilis renunciatus, ac in possessionem prævia collatione Ordinarii immisus: Verùm cum ad ordines sacros promoveri instetisset, fuit ab eodem Ordinario rejectus tamquam illitteratus: Unde habito per eum recursu ad Sacram Congregationem, prodiit sub dicta die rescriptum -- *Ad Eminentissimum Vicarium pro novo examine quod omnia.* Et Episcopus acriter moneatur, quod recurrentem approbaverit ad Curam Animarum sub spe idoneitatis acquirendæ.

5. Quod comprobatur à Garz. *de Benef. par. 3. cap. 4. num. 7.* ubi assertit aliam declarationem, ibi -- *Pœna Canonis prescripta his, qui ultra annum Sacerdotium non perceperint, non habet locum in Rectore, qui intrà annum à die adeptæ possessionis pacificæ, vel intrà tempus legitime ei prorogatum comparuit, & se promoveri petiit offerens quantum in se erat se paratum suscipere Sacerdotium, vel ordines, & noluit eum Ordinarius propter illitteraturam, vel aliam causam promoveri.*

6. In aliis autem Beneficiis, in quibus concursus non exigitur, inter præsentatos, si æqualia sint merita, erit locus gratificationi Episcopi; at si alter majo-

ribus juvatur meritis, digniorem præeligere debet, Tondut. *q. Benef. 10. 2. p. 3. c. 1. §. nu. 19. 20.* Quod intellige, si duo simul, aut successivis temporibus cumulativè ab eodem Patrono præsentati fuerint.

7. Cæterùm si duo essent præsentati à pluribus Patronis in pari numero, & voce, tunc neutri acquiritur jus ad institutionem, cum ad hanc requiratur, ut præsentatio sit facta à majori parte, juxta *cap. Quoniam de Jurepatr.* nec tali casu intrat Episcopi gratificatio, cum præsentatio dicatur nulla: Sed licitum erit Patronis Laicis intrà quadrimestre variare, & aliam præsentationem facere, ut distinguit Fagnan. *in cap. Cum autem à num. 23. 29. & 30. de Jurepatr.*

8. Verùm si à die primæ præsentationis intrà quadrimestre nova præsentatio à Patronis non fieret, tunc Episcopus jure devoluto, vel gratificare, aut alium sibi benè visum providere poterit, ut explicat Fagnan. *ibid. num. 25. & 26.*

9. Et hic nota, quòd, si ad quodcumque Beneficium præsentaretur Clericus conjugatus, qui haberet requisita Concilii, adhuc non esset admittendus, quia non solum est incapax Beneficii Ecclesiastici, sed nec potest nominari, seu præsentari ad Cappellaniam merè laicalem, ut bis nuper declaravit *Sac. Congregat. Concil. nempe in Interamnen. Legati pii 29. Novembris 1692. & in Terracinen. Cappellania 27. Junii 1699.* Et ratio hujus exclusionis est, quia Clerici conjugati excepto privilegio Canonis, & Fori in Criminalibus, habentur tamquam meri Laici, ut respondit *Sac. Congr. Episcop. in Gravinen. 10. Februarii 1618.* Et hoc procedit etiam si Clericus conjugatus esset ex vocatis de Familia ad Beneficium Jurispatronatus, *Sac. Congr. Conc. in Fanen. 4. April. 1693. Vivia de Jurep. lib. 6. c. 7. n. 19.*

10. IN SYNODO DIOECESANA. Dubium hic excitatur, An non extantibus Examinatoribus Synodalibus, possint præsentati ad Parochiam examinati ab aliis Examinatoribus ab Episcopo deputatis absque vitio nullitatis? & pro affirmativa stat *Garz. de Benef. par. 9. cap. 2. num. 94.* ex motivo, quod Examinatorum Synodalium defectus non debeat

debeat præjudicare Patronis legitimè præsentantibus. Pro negativa autem sententia, nempe quod institutio facta absque interventu Examinatorum Synodaliū sit nulla, est Corrad. *prax. Benef. p. 3. c. 3. num. 35. vers. Verum*, ubi dicit, quod Patronis prætervetur jus præsentandi donec Examinatores legitimi existant, & hæc videtur verior opinio.

11. **QVAM OBTINES.** Potest enim Patronus præsentare Presbyterum habentem aliud Beneficium Curatum, aut Præbendam Canonicalem; & si præsentatus obtineat, debent pro altera Ecclesia vacante Edicta concursus proponi, Gallemart. *suprà Concil. cap. 17. sess. 24. de Reform. num. 12.*

12. Et nota hic primò, quod præsentatio, resignatio, & institutio ad Beneficium, potest fieri per Procuratorem Laicum, Paris. *de resignat. lib. 9. quæst. 3. n. 12. & 19. & lib. 10. quæst. 6. num. 14. & qu. 8. num. 35. Vivian. de Jurep. lib. 11. cap. 1. n. 2.* licet tutius sit adhibere Clericum, ut dicit Glof. *in Clementina unica verb. Procuratorem de renunc.*

13. Secundò, quod, si Beneficium ex Testatoris, seu Fundatoris voluntate debet conferri certo generi personarum; quamvis tempus ad Præsentandum Patronis à jure concessum sit lapsum, & fiat devolutio ad Ordinarium: adhuc in collatione tenetur Collator observare formam in fundatione, & Ereptione Beneficii præscriptam, & conferre uni ex vocatis Garz. *de Benefic. part. 10. cap. 3. n. 42. Caren. resol. 159. n. 4.*

14. Tertiò, quod, nec hæres, neque Executor Testamentarius, neque Episco-

pus potest in ereptione Capellanæ, seu Beneficii simplicis injungere onus residentiæ, quod Testator non injunxit: Nec addere, quod Rector, five Capellanus pro tempore per se ipsum Missas celebret, prout respondit *Sacr. Congr. Concil. in Viterbien. 11. Januarii 1698. & in Assen. 14. Februarii. & in Mexicana 16. Martii 1699.* neque alio modo Testatoris voluntatem immutare, eadem *Sac. Congr. in Derchonen. 4. Junii 1701.*

15. Quartò, quod in Parochialibus Jurispatronatus, si præsentatus intrà tempus Patronis à jure præfixum, prævio examine juxtà formam Concilii approbatus, petatur institui, institutioque ipsa per duos menses à die præsentationis dilata fuerit collatio devolvitur ad Papam, vel ad Metropolitanum, vel Viciniorem Ordinarium, prout magis placebit Patronis, quibus datur optio dirigendi recursum, ad petendam institutionem, prout disposuit Pius V. *in sua Bulla 33. Sac. Congr. Concilii in Herbipolen. Parochialis 28. Septembris 1697.*

Collationis Ecclesiæ Parochialis
per concursum.

FORMULA XI.

SUMMARIUM.

1. *Quæ requisita habere debeat præeligendus in concursu ad Parochialem?*
2. *Episcopus habet sex menses ad conferenda Beneficia etiam Curata Quatuor, si ad alios collatio pertineat.*

N. Episcopus N.

Electio &c.

INter cætera, quæ pro Pastoralis officii debito præstare cupimus, illud præcipuè cordi est, ut Parochialibus Ecclesiis, quibus de Rectoribus providendum est, tales præficiamus, qui ministerio Curæ Animarum, quod omnium gravissimum est, laudabiliter satisfaciant. Vacante igitur nuper de mense N. proximè præterito Parochiali Ecclesia sub invocatione S. N. Oppidi N. hujus nostræ Diœcesis per obitum N. illius, dum viveret, ultimi Possessoris, fuerunt per Curiam nostram, mediante publico Edicto, juxtà formam & præscriptum Sac. Conc. Trid.

Monacelli Form. Pars I.

E 3

& Con-

& Constitutionis B. Pii V. vocati omnes de sic vacante Ecclesia provideri cupientes, quatenus intrâ terminum decem dierum comparerent in eadem Curia ad faciendum describi, & adnotari nomina ipsorum, & cum in eodem termino plures comparuissent, tandem iisdem legitimè vocatis sub die. . . . coram Nobis rigorofo prævio examine per tres Examinatores Synodales facta fuit experientia de scientia, & sufficientia singulorum, descriptorum, oppositorum, ac demùm servatis de jure servandis fuisti per dictos tres Examinatores repertus, habitus, & existimatus idoneus vita, moribus, ætate, & scientia, & aliis à jure requisitis præditus, & ut talis ad dictam Parochialem, ejusque Curam per Te ipsum regendam ab eisdem Nobis renunciatus fuisti, & successivè à Nobis magis idoneus reputatus, & judicatus: Nos igitur eidem Ecclesiæ, ac Animabus illi subditis de Rectore providere volentes, Tibi, quem præ cæteris digniorem delegimus eandem Parochialem cum illi annexis, ac omnibus juribus, & pertinentiis suis universis, conferimus, & assignamus, de illaque Te coram Nobis flexis genibus constitutum, & acceptantem per Bireti capiti tuo impositionem investimus: Quo circa, &c. (& sequere, ut in præcedenti formula.)

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

1. ET ALIIS A JURE REQUISITIS PRÆDITUS.

Ad Curam regendam Animarum, quæ dicitur ars artium, exigitur non tantùm scientia, sed etiam ætas provecta, prudentia, bona fama provifus, & quæ d' iste fit gratus populo, aptus regimini, & magis utilis Ecclesiæ: Ad quas circumstantias Episcopus in præelectione animadvertere debet, Ricc. prax. For. Eccles. tom. 3. resol. 527. Piafec. prax. Episc. p. 2. cap. 5. art. 5. num. 12. & seqq. Nicol. lucubr. Can. lib. 3. tit. 5. de præb. & collat. num. 18. Card. de Luc. de Paroch. disc. 6. n. 4. Rot. coram Buratt. decis. 22. num. 29. & decis. 635. n. 6. ubi Adden.

2. CONFERIMUS. Episcopus habet sex menses ad conferenda Beneficia etiam Curata. Si autem collatio ad alios pertineret, quatuor tantùm menses ei conceduntur ad faciendum concursum, & significandum Collatori electum, Nicol. lucubr. Can. lib. 3. tit. 5. de præbend. & collat. num. 21. & alibi dicam. Cæteræ autem adnotationes, quæ super clausulis in formula contentis cadere possunt, ha-

bes in titulo de Ediçtis, & in formulis pro concursu.

Formula autem hæc potest deservire in collatione Parochialis vacantis per affectionem alterius, per ingressum in Religionem, aut contractum Matrimonium, in quibus concursus requiritur, quæ mutatis tantùm verbis, quæ respiciunt modum vacationis.

Collationis Parochialis vacantis per resignationem ex causa permutationis.

FORMULA XII.

SUMMARIUM.

- 1 Episcopus quolibet tempore potest admittere resignationes Beneficiorum ex causa permutationis.
- 2 Beneficiorum permutatio dolosa nulla est.
- 3 Provisio facta ex causa permutationis debet publicari.

N. Epi-

N. Episcopus N.

Dilecto &c.

Desideria iusta petentium congruo favore prosequentes, libenter ea, quæ sacris sanctionibus contraria non sunt, auditum præbere non dedignamur. Cum itaque Tu hodiè per Te ipsum Canonicatum, & Præbendam Ecclesiæ N. & dilectus noster in Christo N. Parochialem Ecclesiam N. nostræ Diœcesis, quam obtinebat, per N. Procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, *ex causa permutationis* de ipsis inter vos sincerè faciendæ, & non aliàs, spontè; & liberè resignaveritis in manibus nostris, Nosque votis tuis favorabiliter in hærentes, resignatione ex causa prædicta admittæ, Parochialem prædictam sic vacantem Tibi qui per tres nostros Examinatores Synodales examinatus, & idoneus repertus fuisti, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis auctoritate nostra ordinaria conferimus, & assignamus. Teque coram Nobis personaliter constitutum per anuli traditionem, & Bireti tuo capiti impositionem de eadem investimus, & in realem, corporalem, & actualem possessionem, seu quasi immittimus, præstito per Te, & per Nos recepto ad Sancta Dei Evangelia corporali juramento, quod *nulla pactio fraudulenta* intercessit, & quod Nobis, & Successoribus nostris fidelis, & obediens eris, & Sanctæ Matri Ecclesiæ, dictæque Ecclesiæ in spiritualibus, temporalibus, ac in Divinis laudabiliter deservies, & deservire facies, oneraque ipsius supportabis, & jura nostra persolves, bonaque quæcumque, atque jura illius manutenebis, & defendes pro posse, nihilque quod ad eandem Ecclesiam pertineat alienabis, se u distrahes, sed alienata, & distracta ad jus, & proprietatem dictæ Parochiæ pro viribus reduces. Quo circa &c. *& sequere, ut precedentibus formulis.* In quorum fidem &c. has præsentis expediri, & publicari jussimus. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

1. EX CAUSA PERMUTATIONIS. Etiam hodiè Episcopi in quolibet mense anni possuntmittere resignationes in favorem certæ personæ ex causa permutationis, quas invicem faciunt permutantes, & eorum cuilibet collationem facere tempore debito de Beneficio permutato, ut latè probat Gonzal. *ad regul. 8. Cancellar. gloss. 14. n. 33. & 48.*

2. NULLA PACTIO FRAUDULENTA. Si permutatio esset dolosa, & facta cum fraude, nulla esset. Arguitur autem hæc fraus, quando permutatio fit ab

ægroto, à sene, à disparitate magna Beneficiorum permutatorum, à lite pendente, & ab aliis conjecturis, quas enumerat Paris. *resignat. lib. 13. quest. 4. per tot.*

3. ET PUBLICARI JUSSIMVS. Ad tollendas igitur fraudes, quæ committi interdum solent in hujusmodi resignationibus, debet provisio facta ex causa permutationis publicari intra tres menses à die collationis, aliàs provisio nulla esset, ut jubet in sua *Constit. 85. Bullar. tom. 2. Gregor. XIII. & probat Paris. de resignat. lib. 11. quest. 2. nu. 10. & seqq. & quest. 5. n. 17. cum seqq.*

E 4

Col-

Collationis Canonicatus Cathedralis
vacantis per obitum.

FORMULA XIII.

SUMMARIUM.

- 1 Beneficia vacantia per obitum possunt
conferri familiaribus, & consan-
guineis Episcopi.
Beneficia Jurispatronatus possunt con-
ferri eisdem, quia non comprehen-
duntur sub Bulla Pii V. ibidem.

- 2 Episcopus, qui confert virtute alternati-
væ, debet hoc in provisione exprimere.
3 Juramentum de servandis statutis
Ecclesie non extenditur ad non rece-
pta, vel abrogata.
4 Professio fidei emitti non potest per
Procuratorem, quamvis specialiter
constitutum, & nu. 5.
6 Professio fidei debet emitti, quamvis
in adoptione alterius Beneficii alias
fuisse emissa.
7 Professio fidei emitti potest coram Vi-
cario Generali.

N. Episcopus. N.

Dilecto &c. I.V.D.N. familiari nostro Clerico loci N. &c.

GRata familiaritatis obsequia, quæ Nobis hætenus impendisti, & adhuc soli-
citis studiis impendere non desistis: Necnon litterarum scientia, vitæ, ac
morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus per-
sonam tuam juvari percipimus, Nos inducunt, ut Tibi reddamur ad gratias li-
berales. Cum itaque Canonicatus, & Præbenda nostræ Cathedralis Ecclesie N.
quorum collatio, provisio, & omnimoda dispositio ad Nos hac vice spectare di-
gnoscuntur; & quos quondam N. qui extrâ Romanam Curiam de mense N. diem
clausit extremum, possidebat, vacaverint, & vacant ad preses. Nos volen-
tes Tibi præmissorum obsequiorum, & idoneitatis intuitu gratiam facere specia-
lem, Canonicatum, & Præbendam prædictos sicut præmittitur vacantes cum
plenitudine juris Canonici, ac omnibus suis fructibus, proventibus, juribus, &
pertinentiis universis, Tibi auctoritate ordinaria tenore præsentium conferimus,
& de eisdem providemus: Teque coram Nobis personaliter constitutum per anu-
li traditionem, & Bireti capiti tuo impositionem investimus, & in realem cor-
poralem, & actualem possessionem auctoritate nostra per N. cui vices nostras
committimus immitti mandamus. A moto quolibet alio illicito detent ore, recepto
prius per Nos, & per Te præstito ad Sancta Dei Evangelia corporali juramento,
quod Nobis, & Successoribus nostris Episcopi obediens eris, & fidelis, & Sanctæ
Matri Ecclesie: Eisdemque Canonicatui, & Præbendæ, ac ipsi Ecclesie Cathed-
rali secundum ipsius statuta, laudabiles consuetudines, & ordinationes deservies,
& deservire facies in Divinis, juraque & libertates prædictorum manutenebis, &
pro posse defendes, nihilque quod ad dictum Canonicatum, & Præbendam per-
tinet alienabis, sed alienata, & distracta ad jus, & proprietatem eorundem redu-
ces, & pro juribus reduci procurabis. Quo circa mandamus omnibus Dignitati-
bus, & Canonicis Rev. Capituli, ut Te in fratrem, & Concanonicum recipiant,
& Stallum in Choro, locumque, & vocem in Capitulo tradant, & assignent, Te-
que in talem habeant, tractent, & portionem de redditibus universis faciant,
prout habent alii Canonici, responderi; emissa tamen prius per Te ipsum pro-
fessione fidei coram Nobis, aut Vicario nostro Generali, & postea coram Capi-
tulo.

tulo. Et ita conferimus, providemus, & assignamus, ac exequi mandamur
omni &c. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

I. FAMILIARI NOSTRO.
In provisione Beneficiorum vacantium per obitum admittuntur etiam familiares, & consanguinei Episcoporum, Corrad. *prax. Benefic. lib. 3. cap. 4. num. 11.* Et quoad Beneficia Jurispatronatus, si resignentur in manibus Episcopi possent eisdem pariter conferri, quia hæc consentiente, & præsentante Patrono non comprehenduntur sub dispositione Bullæ Pii V. ut tradunt Quarant. in *Sum. Bullar. verb. Beneficiorum resignatio*, Corrad. *prax. Benef. lib. 5. cap. 1. post num. 50. vers. Est tamen hic advertendum.*

2. HAC VICE SPECTARE.
Si Episcopus Collator gauderet privilegio alternativæ, & vigore hujus tituli conferret, deberet hoc in formula expeditionis exprimi, & post dicta verba -- *Hac vice spectare dignoscuntur*, addere -- *Nobis personaliter, & verè residantibus alternativæ Beneficio gaudentibus.*

3. STATUTA, LAUDABILES CONSUETUDINES. Juramentum de servandis statutis Ecclesiæ non extenditur ad non recepta, vel per contrarium usum abrogata, Sperell. *dec. 15. num. 3. dec. 110. n. 35.* Consuetudines verò per Canonicos servandæ, illæ sunt, quæ laudabiles, & antiquæ reputantur, Barbof. in *Sum. decis. Apostol. collect. 92. num. 1.*

4. PER TE IPSUM. Professio fidei emitti non potest à proviso de Canonicatu in Cathedralibus per Procuratorem, ita declaravit *Sacr. Congreg. Concil. supra cap. 12. de Reform. sess. 24.* & nuper in *Calaguritana 22. Septembris 1696.* in qua Episcopo de hoc sciscitanti responsum fuit -- *Non admittat provisos ad professionem fidei, nisi per se ipsos emittant, & te-*

nent Garz. *de Benef. par. 3. cap. 3. num. 51.* Barbof. in *Summ. decis. Apost. collect. 611. num. 5.* Corrad. *prax. Benef. lib. 2. cap. 16. num. 50.*

5. At si provisos præsens in curia non possit statim ad residendum accedere, solet tunc *Sac. Congreg. Concilii* illum admittere ad professionem fidei coram, & in manibus Datarii, vel Cardinalis Præfecti *Sacræ Congregationis*, & etiam coram Urbis Vicario, non obstante, quod in litteris provisionis adfit Decretum emittendi in manibus Episcopi, *Sac. Congreg. in Syracusana 11. Januarii 1698.* quod est contra sententiam Sperell. *decis. 106. num. 37.* & aliorum à Gallemart. *supra dicto cap. 12. sess. 24. allegatorum*, teneantur, quod professio fidei possit emitti per Procuratorem specialiter constitutum.

6. Ab hac autem emissionem professionis fidei provisi excusari non valent prætextu, quod aliàs in adceptione alterius Parochialis, vel Canonicatus illam emisserint, Gallemart. *ubi supra post num. 47. vers. Nec excusari: Qui autem illam emittente teneantur*, enumerat Nicol. *luci. br. Can. lib. 1. tit. 1. de Sum. Trinit.*

7. CORAM NOBIS, AUT VICARIO NOSTRO GENERALI. Professio fidei licet ex Decreto Concilii debeat fieri in manibus Episcopi, vel eo impedimento coram Vicario Generali: Adhuc si fiat coram Vicario, Episcopo etiam non impedito, aut in Capitulo, in quo sit præsens Episcopus, vel Vicarius, satisfactum videtur huic obligationi, ut notant Barbof. *de offic. & Potestat. Episcop. alleg. 61. num. 17.* Corrad. *prax. lib. 6. cap. 16. num. 16.* Gallemart. *ibidem litt. V.* & ita praxis obtinuit.

Colla-

Collationis Canonicatus, vel Parochiæ vigore provisionis Apostolicæ.

FORMULA XIV.

SUMMARIUM.

- 1 Litteræ Apostolicæ debent coram Executore verificari legitimo Processu.
- 2 Provisus de Canonicatu potest exami-

nari super cantu Gregoriano, & ad illum addiscendum moneri etiam per subtractionem distributionum.

- 3 Episcopus quando dicatur Executor mixtus.
 - 4 Quid probandum, si Beneficium conferatur per resignationem vigore provisionis Papæ?
 - 4 Provisus in forma dignum debet examinari coram Examinatoribus Synodalibus, non solum quoad doctrinam, sed etiam quoad mores.
- Beneficia Curata non debent dari diffamatis, ibidem.

N. Episcopus N.

Dilecto &c.

CUM per Te nobis præsentatæ fuerint litteræ Apostolicæ Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. CLEMENTIS Divina Providentia Papæ XI. in pergamena scriptæ cum plumbo pendentem, cordula canapis more Romanæ Curie, quas Nos, qua decet reverentia, recepimus, tenoris sequentis videlicet (*& hic inseratur tenor Bullæ*), & successivè Nobis instantiam feceris, ut ad ipsarum litterarum executionem procederemus: Nos volentes mandata Apostolica exequi juxta formam in dictis litteris præscriptam, de expositis, & contentis in eis debitam capi mandavimus informationem, qua diligenter capta, & constito Nobis legitime ex actis narrata Sanctissimo Domino Nostro esse vera, & verificata, Teque esse habilem, & idoneum ad dictum Canonicatum, & Præbendam, prout idoneus repertus fuisti à nostris Examinatoribus (*si Beneficium esset cum Cura Animarum, & provisio expedita cum clausula in forma dignum, dicatur* - Prout idoneus, & dignus repertus fuisti à nostris Examinatoribus Synodalibus) proinde dictum Canonicatum cum Præbenda, ut supra vacante tenore præsentium Auctoritate Apostolica, qua in his fungimur, cum omnibus suis fructibus, proventus, emolumentis, & distributionibus, ac annexis Tibi conferimus, & assignamus, amoto quolibet alio illicito detentore, quem amotum esse prædicta Apostolica auctoritate per præsentem decernimus, recepto, & per Te præstito corporali juramento &c. (*& sequere, ut in formula præcedenti*) In quorum &c. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

ADNOTATIONES.

1. **C**ONSTITO NOBIS. Litteræ Apostolicæ debent coram Executore verificari legitimo Pro-

N. Cancellarius Episcopalis. cessu, sive sint expeditæ in forma dignum, sive certo modo, sive per resignationem; Et verificatis narratis, Executor Decretum executionis interponere, ut docet Ros. de Executor. litt. Apostol.

fol. in prax. execut. litt. Apostol. in quibus sit provis. Benef.

2. ESSE HABILEM, ET IDONEUM. Quod provifus de Canonicatu in Cathedrali possit, & debeat examinari super cantu Firmo, seu Gregoriano (quem canere debent Canonici) & quatenus de hoc ignarus provifus reperiatur, non debeat admitti, vel cogi præfixo competenti termino addiscendum etiam per subtractionem distributionum, tradunt Nicol. Lucubr. Can. lib. 1. tit. 14. de ætat. & qualit. n. 9. Chrifp. de visit. p. 2. §. 20. n. 19. & duob. seqq. apud quos plura Decreta allegantur. Verum in praxi, præsertim cum provifus à dataria, hæc theorica non semper servatur.

3. Quando autem imperatio Beneficii fit certo modo, utpotè quia alter malè impetraverat, & tunc Episcopus Executor dicitur mixtus, & providet, ac exequitur, citato prius malè provifus, & facit expeditionem verificatis expositis.

4. Si verò Beneficium conferatur per resignationem ad favorem certæ personæ, tunc litteræ Apostolicæ expediuntur in forma dignum, & Resignatarius debet probare Resignantem habere aliundè, undè commodè vivere possit, & Executor verificatis expositis Decretum interponit, & Bullas exequitur; captaque per Resignatarium possessione, ut publicatio resignationis in Ecclesia, ubi adest Beneficium, ad formam Bullæ Gregor. XIII. la 85. to. 2. Bull. nov. De possessione autem capta, professione fidei emissa, & de publicatione resignationis facta, Notarius, sive Cancellarius Curie Episcopalis debet conficere actum publicum in forma probanti, & fidem de his facere in

dorso Bullarum cum expressione temporis
5. A NOSTRIS EXAMINATORIBVS SYNODALIBUS. Si verò litteræ Apostolicæ expeditæ sint pro provifione Ecclesiæ Parochialis cum clausula in forma dignum tunc pro verificatione debent adhiberi Examinatores Synodales pro forma, qui quoad idoneitatem taliter provifus, debent facere relationem, & approbationem, non solum super litteratura, sed etiam quoad legitimitatem, ætatem, & mores, Garz. de Benef. p. 6. c. 2. n. 233. 236. & 239. quam Sententiam amplexa fuit Sac. Congr. Concil. in Foroliven. his proposita, scilicet 19. Julii, & 20. Septembris 1692. in qua cum provifus in forma dignum fuisset rejectus non tamquam illiteratus, sed ex quo esset diffamatus circa venerea, & idè à rejectione Episcopi, & Examinatorum ad Sac. Congregat. appellasset, Dubio proposito -- An constet irrationabili judicio Episcopi, & Examinatorum? responsum fuit -- Negativè. Et meritò, quia Beneficia Curata non debentur diffamatis, & tenuit eadem Sac. Congr. Concil. in Mediolanen. seu Alexandrina 28. Nov. 1693.

Collationis Canonicatus, & Præbendæ Ecclesiæ Collegiatæ.

FORMULA XV.

SUMMARIUM.

1. Canonicus Collegiatæ Urbis est dignior Canonico Cathedralis alterius Civitatis.
2. Canonicus Collegiatæ non tenetur emittere professionem fidei.

N. Episcopus. N.

Dilectio &c.

CUM sicut accepimus, Canonicatus, & præbenda in Collegiata Ecclesia N. loci N. hujus nostræ Diocesis, quos Rev. Canonicus N. illorum ultimus Possessor obtinebat, per obitum ejusdem de mense N. vacaverint, & vacant ad præsens; ne Divinus Cultus in dicta Collegiata Ecclesia detrimentum patiat, eidem de idoneo Canonico providere volentes, Tibi, cujus vita, & mo-

morum probitas, ac virtutum merita, quæ Nobis ipsis nota sunt, & aliorum fide digniorum commendantur testimonio, prædictos Canonicatum, & Præbendam, præmissis, sive alio quovis modo vacantes, cum illis forsan annexis, & omnibus juribus, honoribus, oneribus, & pertinentiis suis universis auctoritate nostra ordinaria, a comni alio meliori modo, jure, & forma, quibus melius possumus, conferimus, & assignamus, de illisque coram Nobis flexis genibus humiliter constitutum, & acceptantem per Bireti tuo capiti impositionem, cum juris Canonici plenitudine investimus recepto prius à Te &c. Quo circa &c. (& sequere, ut in formulis præcedentibus, prætermittitur obligatione emittendi professionem fidei, ad quam non tenetur Canonicus Collegiatæ.) Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

HONORIBVS. Canonicus Ecclesie Collegiatæ Urbis Romæ dignior est Canonico Cathedralis alterius Civitatis, etiamsi Cathedralis Capitulum sit exemptum, ut declaravit Sac. Cong. Concilii super cap. 12. sess. 24. de Reformat. Nisi circa hoc Capitulum Cathedralis sit peculiariter privilegiatum.

2. Non injungitur proviso de Canonicatu onus emittendi fidei professionem, quia Canonici Collegiarum illam emittere non tenentur, Nicol. lucubr. Can. lib. 1. tit. 1. de Summ. Trinit. nu. 11. limit. 2. Gallemart. in dict. cap. 12. sess. 24. post nu. 47. vers. in Ecclesiis Cathedralibus. Quidquid sit de prima Dignitate Ecclesie Collegiatæ, quæ de stylo Datarie solet professio-

nem fidei emittere, ut testatur Corrad. prax. Benefic. lib. 2. cap. 16. num. 3.

Collationis Beneficii ad Capitulum spectantis.

FORMULA XVI.

SUMMARIUM.

- 1 *Ætas 14. annorum exigitur in conferendis Beneficiis.*
Beneficium Jurispatronatus potest conferri Clerico septem annorum, si fuit erectum ante Concilium, ibid.
- 2 *Pro Canonicatu Collegiatæ exigitur de jure ætas 14. annorum.*
- 3 *Ius conferendi per consuetudinem acquisitum est manutenibile.*

Universis &c. Nos N.N. & N.N. Dignitates, Canonici, & Capitulum Ecclesie Cathedralis N.

Salutem in eo, qui vivit, & regnat.

CUM itaque Beneficium, seu Cappellania perpetua ad Altare N. erectum, cujus collatio, & proviso; & omnimoda dispositio ad Capitulum nostrum quoties vacat pertinet pleno jure, quod, seu quam N. dum viveret obtinebat, per illius obitum de mense N. secutum, vacaverit, & vacare noscatur ad præsens. Nos volentes dilectum nostrum Clericum N. in ætate legitima constitutum apud Nos de litterarum scientia, vitæ, ac morum honestate, aliisque virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, Beneficium, seu Cappellaniam sic vacantem, cum omnibus juribus, ho-

bus, honoribus, oneribus, ac pertinentiis suis præfato N. auctoritate nostra, & omni alio meliori jure, quo possumus, tenore præsentium conferimus, assignamus, ac providemus; Ipsumque Clericum N. in corporalem, realem, & actualem possessionem, seu quasi dicti Beneficii, seu Cappellanæ, juriumque, & pertinentium predictorum poni, & induci mandamus, ac ponimus, & inducimus per Præsentem; cum jam receperimus ab eodem in forma solita, & consueta juramentum præstari solitum. In quorum omnium testimonium præsentem expediri, & sigillo Capituli per nostrum Secretarium muniri jussimus hac die, &c. (& sequitur subscriptio Dignitatum, & Canonicorum.)

Loco ✠ Sigilli.

N. Secretarius Capituli.

Eodem ferè modo concipienda erit formula, quando collatio ad Capitulum spectaret vigore alternativæ, quam haberet cum Episcopo, vel Jurispatronatus, legati, aut alterius tituli, mutatis mutandis.

ADNOTATIONES.

I IN ÆTATE LEGITIMA.

Ætas quatuordecim annorum saltem inceptorum ex dispositione Concilii Tridentini sess. 23. cap. 6. exigitur in conferendis Beneficiis, ubi Barbof. n. 2. & de Potestat. Episcop. allegat. 60. num. 76. Verumtamen est, quod, si esset Beneficium Jurispatronatus erectum ante Concilium, ad quod ex Testatoris, seu Fundatoris dispositione simplices Clerici possent præsentari, tunc sufficeret minor ætas quatuordecim annorum, quia per Concilium Testatoris dispositio juri consona non remanet sublata, ut observat Tondut. quest. Benefic. tom. 2. ad noc. ad cap. 3. num. 7. vers. Si vero: Et sic Clerico septem annorum completorum Beneficium simplex conferri possiet, Barbof. de Offic. & Potestat. Episcop. alleg. 60. num. 72. & 77. Ciarlin. contro. vers. 53. num. 50. & 51. Adden. ad Buarat. decis. 755. num. 15. & Adden. ad Pamphil. decis. 54. num. 16.

2 Hoc tamen intelligas, dummodo non agatur de Canonicatu Ecclesiæ Collegiatæ, quia licet dicatur Beneficium simplex; nihilominus in his de jure requiritur ætas quatuordecim annorum, ut probant Gonzal. ad regul. 8. Cancell. glos. 5. num. 92. & 96. Barbof. d. alle-

gat. 60. num. 71. & de Canonic. cap. 13. num. 14. Piafec. prax. Episcop. part. 2. cap. 5. art. 3. num. 34. Tondut. qu. Benefic. tom. 1. part. 2. cap. 3. §. 12. n. 1.

3 ET OMNI ALIO MELIORI JURE. Si de alio jure, vel titulo conferendi Capituli non constaret, quam per consuetudinem, ejus possessio esset manutenibilis, Ricc. prax. For. Eccles. part. 2. resol. 335. num. 5.

Collationis Beneficii simplicis vacantis per liberam resignationem.

FORMULA XVII.

SUMMARIUM.

- 1 Beneficium potest in manibus Episcopi resignari cum causa ad hoc, ut conferatur certæ personæ absque labe Simonie.
- 2 Et si sunt Juspatronatus, possunt conferri Episcopi familiaribus.

N. Epi-

N. Episcopus N.

Dilecto &c.

Litterarum, scientia vitæ, ac morum honestas, aliaque probitatis, & virtutum merita quibus fide digno commendaris testimonio, Nos inducunt, ut Tibi ad gratias reddamur liberales. Cum itaque Beneficium simplex S. N. erectum in Ecclesia N. hujus nostræ Diocesis, quod nuper N. illius ultimus, & immediatus Possessor obtinebat, per liberam resignationem d. N. ad præscriptam formam Constitutionis B. Pii V. in manibus nostris spontè factam, & per Nos admissam vacare noscatur; Nos meritorum tuorum intuitu, & qui idoneus reperi videmur. Teque coram Nobis personaliter constitutum in corporalem, & realem possessionem, seu quasi, juriumque, & pertinentium illius per anuli nostri in manibus tuis traditionem, & immisionem inducimus, & de eo investimus, recepto per Nos, & à Te præstito juramento, &c. (& sequere, ut in Formula X.) Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

ADNOTATIONES.

1 **P**ER LIBERAM RESIGNATIONEM. Quamvis Episcopus non possit admittere resignationes Beneficiorum ad favorem certæ personæ, neque conventionales; puras tamen, & liberas, concurrente causa expressa in Bulla Pii V. 58. validè recipit; Immo quod resignans possit Beneficium dimittere ad hoc, ut conferatur certæ personæ, dummodò in ipso actu resignationis pactum seu conditio non inferatur, expressum per doctrinam Abbat. in c. Dilecto n. 3. de Præb. tenet Piasec. prax. Episc. part. 2. c. 5. art. 3. tit. quomodo sint confer. Benef. num. 48. dummodò persona sit digna, & Episcopus fidem expressè non dederit de conferendo illi, sic firmat etiam Ricc. decis. 207. num. 2. part. 3.

2 Et si sint juris patronatus possent conferri etiam Episcopi familiaribus, quia hæc non comprehenduntur in d. Bulla Pii V. §. Cæterum, Barbof. in Sum. dec. Apostol. collect. 66. n. 2. & collect. 650. num. 6. Garz. de Benef. part. 1. cap. 3. n. 268.

N. Cancellarius Episcopalis.

Resignationis Parochialis Ecclesiæ.

FORMULA VIII.

SUMMARIUM.

- 1** Referuntur causæ, ob quas Episcopus potest resignationes recipere, & n. 2.
- 3** Resignans Beneficium debet habere aliud, unde vivere possit.
- 4** Resignatio Beneficii debet fieri in scriptis, vel per Procuratorem specialiter constitutam.
- 5** Episcopus debet recipere, vel rejicere Beneficiorum resignationes infra mensem, & intra eundem terminum conferre, aliàs privatur illa vice jure conferendi.
- 6** Resignatio Beneficii ex delegatione Episcopi potest recipi etiam à Vicario Foraneo.
- 7** Casus resignationis Beneficii cum pacto Simoniaci refertur.
- 8** Qui scit pactum Simoniacum sub secreto naturali, an teneatur revelare.

IN

IN Curia Episcopali N. comparuit *personaliter*, & dixit, ac exposuit se esse senio confectum, & sibi etiam *ex aliis rationalibus causis* arduum esse Curæ Animarum sedulo incumbere, & ob dictam suam ætatem ea, ad quæ teneantur diligenter adimplere non posse; Ideoque libere, ac spontè, ac omni &c. Parochialem Ecclesiam N. loci N. cum omnibus, & singulis suis juribus, pertinentiis, honoribus, & oneribus universis resignavit, & renunciavit, expressèque renunciat, atque resignat in manibus Illustrissimi, & Reverendissimi D. N. Episcopi: Et quia aliundè habet, undè vivere possit, & *commodè sustentari*, petit resignationem hanc recipi, & admitti, asserens in præsentis resignatione non intervenisse, neque intervenire, aliquam fraudem, dolum, nec *Simonie labem*.

Ità dimitto, renuncio, resigno, ac in isto Ego N. Parochus Ecclesiæ N.

Quibus, Illustrissimus, & Reverendissimus D. N. Episcopus, visis, &c. ac confitito per fidem ætatis exhibitam, ac aliis juribus de veritate expositorum, resignationem, & renunciationem supra factam admittit, & acceptavit, recepto prius à d. R. N. Resignante juramento ad Sancta Dei Evangelia corporaliter facta, quod in hac resignatione non intervenit fraus, dolus, seu alia illicita pactio, aut Simonie labes; & publicari mandavit. Præsentibus N. & N. Testibus, &c. Datum hac die &c.

N. Cancellarius Episcopalis.

Publicationis resignationis.

F O R M U L A XIX.

N. Episcopus N.

UNiversis &c. Noveritis, quod Rev. Presbyter, & Rector Parochialis Ecclesiæ N. loci N. hujus nostræ Diœcesis Ecclesiam ipsam, quam obtinebat *ex certis rationalibus causis* animum suum moventibus, & præcipuè, *quia senio confectus*, & corpore impeditus non poterat, nec potest muneri suo satisfacere, & Animarum Curæ incumbere, habens aliundè, quo in vita possit *commodè sustentari*, prout Nobis legitime constitit, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis in manibus nostris spontè, & liberè juxtà formam Constitutionis sanctæ mem. Pii V. *scripto renunciavit*: Et Nos resignationem per eum factam admittimus *tempore debito*, & denuò per præsentem admittimus: *recepto per Nos prius ab eodem N. Resignante corporali juramento*, quod in resignatione hujusmodi non intervenit dolus, nec fraus, *nec Simonie labes*. Ideò vobis omnibus notificamus. Ut si quis &c. Datum &c.

N. Episcopus N.

N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTATIONES.

EX CERTIS RATIONABILIBUS CAU-

SIS. Causæ, ob quas potest Episcopus recipere, & admittere resignationes, exprimuntur sigillatim in Bulla B. Pii V. la 58. §. 3. videlicet illorum, qui sunt senio con-

confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti, aut vitiiati: Crimini obnoxii, Censuris Ecclesiasticis irretiti, qui nequeunt, aut non debent Ecclesiæ, vel Beneficio inservire; qui plura Beneficia obtinere, vel quorum ad aliud contigerit promoveri; Religionem ingressuri, vel Matrimonium contracturi, si statim re ipsa id exequantur, & qui ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco Beneficii residere securi.

2 QUI SENIO CONFECTUS.
Qui dicantur senes, & qui valetudinarii, difficile est singulorum exempla recensere, quia non omnibus regula una aptari potest; undè videndus Paris. de resignat. lib. 5. quæst. 6. à num. 5. & per tot.

3 COMMODE SUSTENTARI. Mandat Pontifex Pius in citata Bulla §. 3. in fin. quod nullus ex Beneficiatis resignare volentibus in ordine sacro constitutus, nisi Religionem ingrediatur, admittatur ad resignandum, nisi aliundè habeat, undè commodè vivere possit: Et ideo Episcopus antequam instantiam resignare volentis recipiat, debet formiter de hoc certiorari.

4 SCRIPTO RENUNTIAVIT. Resignatio debet fieri in scriptis, mediante supplicatione manu resignantis, vel instantia judiciali subscripta, vel etiam per Procuratorem specialiter constitutum, Paris. de resignat. lib. 8. q. 2. num. 1. & seqq.

5 TEMPORE DEBITO. Debent Episcopi extrà Curiam admittere, vel rejicere resignationes, & renunciationes infra mensem, & intra eundem terminum conferre, aliàs privantur illa vice facultate conferendi, ut observat Paris. loco cit. de resignat. lib. 11. qu. 2. num. 6. & 7.

6 RECEPTO PERNOS. Facultas recipiendi resignationes, præsertim in Diocesis non exiguis ex causis suprâ expressis, ad evitanda incommoda, & expensas resignare volentium, potest specialiter committi, & delegari non tantum Vicario Generali, sed etiam Vicariis Foraneis probis, & peritis, ut notat Paris. de resignat. lib. 7. quæst. 14. num. 72. & 73.

7 NEC SIMONIÆ LABES. Resignationis factæ cum labe simoniaca casus accidit in una Januën. cujus factum delatum ad Sac. Cong. Concil. 31. Augusti 1696. ità exponebatur -- *Avendo bisogno il Promotor Fiscale della Curia Arcivescovale d' esaminare alcuni Religiosi Theologi, cioè un Gesuita, un Benedettino, un Agostiniano, come anco un Ecclesiastico Secolare in una causa Criminale di Simonia, che si preten- de seguita nella rinuncia dell' Arcipretura di Voltri fatta da Gio: Maria Recagno a favore d' Antonio Maria Cestino: Detti Regolari, & Ecclesiastico Secolare ricusano di sottoporsi all' esame con due motivi. Uno di aver consultato insieme ad istanza delli sopraddetti Recagno, e Cestino, e di avere tutto ciò, che trattarono in detta consulta, sotto sigillo naturale, con che pretendono di non essere obligati à deporre il trattato, è ciò che confessassero li detti Recagno, e Cestino in quel congresso. L' altro ch' essendo Regolari non possono essere astretti dall' Ordinario, senza licenza del loro Generale, ricusando però di concedergliela li loro Superiori locali.*

E perche pare, che la renitenza de' suddetti à deporre quanto fosse discorso in detta conferenza, dia gran fumo, che nella medesima fosse confermata dall' una, e dall' altra parte la Simonia, e che versasse circa il modo di sanare l' errore commesso per le vie praticabili, e forse fosse anche proposto di scrivere alla Penitentiaria segreta, tanto più che il Recagno rinunziante hà confessato giudizialmente d' aver fatta la renunzia per lo sborso di lire novemila, che se gli doveva fare, e che poi per la maggior parte gli è stata sborsata, e che fosse fatta detta consulta per l' effetto sopraddetto.

Quantunque si stimi, che l' obbligo del sigillo naturale non possa costringere detti Consultori à tacere, quando riuscirebbe in danno dell' Anima de' Simoniaci, e di un' intera Parochia numerosa per essere i rei in quella diffamati.

Si supplica con tutto ciò a dichiarare se non ostante il preteso sigillo naturale siano li medesimi tenuti in questo caso à deporre ciò di che fossero interrogati toccante detta pratica, e successivamente concedergli facoltà

coltà di poter constringere detti Regolari an-
co con censure à sottoporsi all' esame, affin-
che non resti impunito un caso di pessimo
esempio.

8 Requisite super expositis ab Eminentiss. recol. mem. Domino meo Card. Petruccio, quid sentirem, votum ita aperui. Simonia est crimen, quod accedit hæresi, detestabile, & exceptum, unde interest Reipublicæ, quod manifestetur, & qui scit delictum hoc fuisse patratum per secretam consultationem, licet revelare non teneatur: tamen ad vitandum grave Reipublicæ damnum, vel tertiæ personæ, prodendum est Judici legitime interroganti, sic probat Lazar. *quæst. Can. sect. 2. qu. 16. n. 5. & 6.* Hic adest grave damnum Resignatarii, qui retinendo Beneficium per Simoniam acquisitum de jure privatus existit, & in malo peccati perseverat, cum sit excommunicatus, ut per Constitutiones B. Pii V. 58. relat. per Paris. *de confid. Benef. quæst. 1. n. 144. & 151.* Unde quatenus aliunde probationes haberi non possint, concedenda videtur licentia pro compulsione Religiosorum.

Relata igitur instantia per Summarium sub dicta die in plena Congregatione fuit rescriptum --- Dilata, & Archiepiscopus interim adhibeat alias probationes. Hoc

rescriptum, ut mihi dignatus fuit referre idem Cardinalis, emanavit, quia non constabat de deficientia aliarum probationum, nec diligentias pro illis habendis factas fuisse exponeretur, & quod proinde Theologi prædicti non deberent cogi, nisi in subsidium ad deponendum. Cæterum quod major pars PP. erat in voto, quod sigillum naturale non obligaret ad servandum secretum, quando Religiosi Consultores juridicè fuissent per legitimum Judicem interrogati.

Provisionis Beneficii simplicis favore
habentis aliud sub eodem testo.

F O R M U L A XX.

S U M M A R I U M.

- 1 Duo Beneficia simplicia etiam uniformia, dummodo incompatibilia non sint, conferri possunt ab Episcopo sub eodem testo, si quolibet de per se non sufficiat ad provisi sustentationem.
- 2 Non tamen plura, etiamsi insufficientia, & simplicia.

N. Episcopus N.

Dilecto &c.

VItæ, ac morum honestas, aliaque probitatis, & virtutum merita, quibus fide digno commendaris testimonio, Nos inducunt, ut Tibi ad gratias reddamur liberales. Cum itaque Beneficium simplex S. N. erectum ad Altare S. N. in Ecclesia nostra Cathedrali, quod possidebat N. illius ultimus Possessor, qui diem suum nuper clausit extremum, & cujus provisio, collatio, & omnimoda dispositio ad Nos spectat, ad præfens vacet: Nos meritorum tuorum intuitu, præfatum Beneficium sic, vel alio quovis modo vacans, quamvis aliud sub eodem testo sub invocatione S. N. obtineas, & possideas, cum quolibet de per se ad sustentationem tuam non sit sufficiens, cum honoribus, & oneribus universis conferimus, & assignamus, & super illorum retentione, & uniformitate, quatenus opus sit dispensamus. Teque coram Nobis personaliter constitutum in realem &c. (& sequere, ut in Formula X. & seqq.) Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

Monacelli Form. Pays I.

N. Cancellarius Episcopalis.

F

AD-

ADNOTATIONES.

1 SUB EODEM TECTO. Duo Beneficia simplicia, sive difformia, sive similia, & uniformia sint, dummodò non incompatibilia, conferri possunt sub eodem tecto ab Episcopo, & absque alia Papæ dispensatione retineri, dummodò quodlibet de per se ad sustentationem provisi non sit sufficiens, sic declaravit Sac. Cong. Concil. in Alexandrina 17. Junii 1630. his verbis -- *Inherendo declarationibus alijs factis, censuit facultatem dispensandi super duobus Beneficijs sub eodem tecto quam habet Episcopus ex dispositione juris communis, non esse sublatam à Conc. Trid. c. 17. sess. 24. dummodò quodlibet de per se non sit sufficiens ad sustentationem provisi; Et ita censuit in Casenat. 20. Decemb. 1631.*

Et in Assisen. in qua exponebatur -- Sacerdos Laurentius Ugolinus possidens Beneficium simplex in Ecclesia Cathedrali annui redditus scutorum quatuor cum dimidio &c. fuit presentatus ad Cappellaniam in eadem Ecclesia Cathedrali erectam ad Altare Crucifixi annui redditus scut. 15. cum onere &c. sed quia eidem institutionem denegat Epif-

copus sub dubio, quod Orator nequeat duo Beneficia uniformia sub eodem tecto absque dispensatione retinere, supplicat idem Orator declarari dicta duo Beneficia non esse uniformia, neque incompatibilia, & posse ab ipso absque dispensatione retineri -- Die 12. Januarii 1697. Sac. Congr. censuit Oratorem nulla indigere dispensatione. Et tradunt communiter Januen. prax. Cur. Archiep. Neap. cap. 64. n. 5. ex doctrina Feilin. in cap. Ex parte il 2. n. 3. de rescript. Tondut. quest. Benef. tom. 1. part. 2. c. 5. §. 6. n. 6. 7. & 8. Navar. conf. 16. de Præb. lib. 3. Barbol. de Offic. & Potest. Episc. alleg 62. num. 17. Panimol. decis. 31. per tot.

2 NON SIT SUFFICIENTIS. Duo tantum Beneficia, si insufficientia sint ad sustentationem provisi, confert Episcopus sub eodem tecto, non autem plura, quamvis difformia, & insufficientia, ut advertit Januen. loc. cit. n. 6. & declaravit Sac. Cong. Concil. in Aquilana 14. Aug. 1632. -- *Episcopum habenti unum simplex Beneficium non sufficiens ad illius sustentationem, posse aliud simile conferre, sed non posse plura, quamvis simplicia, usque ad ejus sufficientem sustentationem eidem conferre.*

T I T U L U S III.

De collatione ordinum, & requisitis.

Edicti de ordinatione habenda.

F O R M U L A I.

S U M M A R I U M.

- 1** Superiores Regulares dimissorias Subditis concedunt ad solum Episcopum Diocesani Monasterii, in cujus familia ordinandus reperitur.
- 2** Regulares ordinandi tenentur exhibere solum litteras dimissorias.
- 3** Ordinationes sacrorum ordinum debent celebrari in Ecclesia Cathedrali, & non in Cappella Palatii Episcopalis.
- 4** Qui natus, & educatus fuit inter Ca-

tholicos, presumitur baptizatus, & potest ordinari etiam sine fide baptismatis.

- 5** Nato in partibus Hæreticorum ex Conjugibus Catholicis non possunt denegari dimissorie ex motivo deficientiæ fidei baptismatis. Idem tenentur de confirmatione, & n. 6.
- 7** Episcopus dispensat cum illegitimis ad ordines minores.
- 8** Requisita ordinandorum juxta diversitatem Diocesum variantur.
- 9** Episcopus potest, sed non tenetur examinare Exteros ordinandos, qui habent testimonium proprii Episcopi de eorum idoneitate.

N. Epi-